



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard


Lvgdvni, 1654

Tractatvs IX. De libertate actuum voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

autem opponitur, reuelationem aliquam habere posse pro obiecto, quod nullus existat amor creatus, nullius momenti est: si enim ex terminis ipsis repugnat cognitio boni, nullius amoris elicitiva; tam repugnabit, dari reuelationem aliquam affirmantem nullum amorem creatum existere nullâ factâ exceptione; ac repugnat dari reuelationem, quæ affirmet nullam creaturam existere nullâ factâ exceptione. Quam solum poterit reuelatio aliqua (ut demus veritatem essentialem ei esse) affirmare, nullum amorem creatum dari excepto eo, quem ipsa excitare potest: sicut etiam nonnisi cum simili exceptione reuelari potest, nullam creaturam existere. Hinc autem non efficitur Deum non posse reuelare, quidquid dari contingit: potest enim Deus alia reuelatione comprehendere amorem, quem prior excepit. Porro ex terminis repugnare cognitionem boni, quæ nullum amorem accendere possit, non solum ex nostra sententia de connexionione intellectus, & voluntatis superius probata sequitur, sed etiam iisdem rationibus probatur: implicat enim contradictionem assensus præmissarum ut talium, quem conclusio sequi non possit, aut intentio, quam electio sequi non possit; aut etiam desiderium, cuius extra gaudium occupare nequeat: ergo repugnabit similiter, &c.

7 Respondeo secundò, implicare cognitionem representatiuum boni, eiusque amorem esse impossibilem handquaquam percipientem, quin eiusmodi cognitio amorem circa suum obiectum excitare possit: huius autem oppositum non colligitur ex ea reuelatione, quamuis eam possibilem admittamus, vt pote quæ non cognoscit bonum, sed ab eo præscindit; aut si illud cognoscit, eius tamen amorem esse impossibilem formaliter, aut æquiualeuter, in actu exercito, aut signato percipit. Hinc ergo fit, repugnare etiam substantiam cognoscitiuam boni, & eius amorem esse impossibilem nullatenus attingentem, quæ tamen volitiua non sit. Hoc tamen solum à nobis hætenus intentum est, & nostris argumentis ab auctoritate, & ratione petitis confirmatum est, si rectè expendantur. Quod enim non repugnet substantia quasi speculatiue intelligens, & non boni sibi conuenientis, sed veri duntaxat perceptiua, quin voluntatem vllam habeat, handquaquam nostræ sententiæ, aut nostris etiam probationibus aduersatur: sic enim lux absque calore, & substantia lucida, & non calida possibilis est, esto in mundo hoc sublunari, ac fortassis etiam crelesti quidquid lucet, hoc ipso caleat: sicuti substantia omnis à Deo creata, quæ cognoscit, hoc ipso per amorem ardet.



TRACTATUS IX.

De libertate actuum voluntatis.

CAPVT I.

Relatis aliorum de libertate actuum voluntatis opinionibus verior proponitur.

2 **D**IVISSIONEM libertatis in eam, quæ dicitur in actu primo, & potentia propria est; eamque, quæ dicitur in actu secundo, & operationis propria est: item diuisionem eius in libertatem spontaneam, & libertatem indifferentiam: rursus illius diuisionem

in libertatem contrarietatis, & contradictionis, siue quoad speciem, & exercitium; aliaque similia tot retro locis attingimus, vt sine temporis dispendio iterum operacis impendi non possit. Quod ergo attinet ad libertatem indifferentiam in actu secundo, potissime inter Auctores controuersam; prima opinio est, eam nec actui libero, nec etiam actioni esse denominationem omnino, & adæquatè essentialem, sed potius partim intrinsecam, partim extrinsecam, atque in entitate actionis, & indifferentia potentia formaliter sitam. Ita Durandus in 2. distinctione 38. quæst. 1. Scotus in 2. distinct. 4. quæst. 1. Molina in concordia quæst. 23. art. 4. & disp. 1. memb. 7. Vasquez tom. 1. in 1. 2. disp. 34. num. 15. & disp. 55. num. 3. Salas tom. 1. in 2. tract. 3. disp. 1. sect. 6. numero 62. Quiedo controuers. 12. de anim. punct. 8. §. 1. Ariaga disp. 8. sect. 4. Eandem sententiam problematice tucur P. Suarez 1. 2. tract. 2. disp. 1. sectione 3. num. 22. circa medium.

2 Secunda opinio est libertatem in actu secundo esse omnino essentialem non solum actioni, sed etiam ipsi actui. Ita Hurtadus disputatione 15. de anima, sectione 6. subsectione 2. ubi pro se refert Conradum, Capreolum, Ferraram, ac B. Thomam. Quibus annumerari etiam potest Richardus in 2. articulo 2. quæstione 1. cum enim hi Doctores doceant, actum voluntatis esse essentialiter bonum, aut malum in genere moris: bonitas autem ac malitia moralis seu meritoria, ac demeritoria libertatem includat, hæc actui essentialiter supponunt. Tertia opinio est, libertatem actioni, non tamen actui esse essentialiter. Ita non pauci recentiores, quibus haud dubie fauet P. Suarez tom. 1. de gratia prolegom. 1. cap. 5. n. 20. & 1. 2. tract. 2. disp. 1. citata numero 21. & 22. Quarta sententia quorundam recentiorum Thomistarum est, libertatem (de qua agimus) esse intrinsecam actui libero, non tamen essentialiter: videlicet consistere in quodam modo distincto realiter ab actu, eumque subsequente, & in eo suapte natura recepto. Hæ Auctorum de libertate indifferentiam in actu secundo sententia.

3 Ipse autem in tot sententiarum varietate aliter sentio, reiectisque aut ex toto, aut ex parte aliorum placitis in nouam, singularemque opinionem sine vllò quidem nouitatis, aut singularitatis studio cogor. Quam quinque assertionibus exhibeo: si tamen prius distinguam inter actus liberi, v.g. amoris productionem, eiusque conseruationem. Porro productionem amoris, alteriusve actus appello actionem terminatam ad ipsam amoris entitatem: conseruationem vero, actionem terminatam ad durationem actus, aut ipsius actionis: quamuis his nominibus paulò aliter alibi vsum me fuisse meminerim. Hoc supposito, in primis cenfeo, & assero, actioni productiue amoris liberi libertatem esse omnino essentialem, & intrinsecam, ac nequaquam extrinsecam. Secundo cenfeo, actioni conseruatiue amoris liberi libertatem esse extrinsecam, posse tamen ei in alia rerum serie intrinsecam esse, atque essentialiter.

4 Tertio cenfeo, ipsi actui, seu qualitati amoris liberi libertatem non esse essentialiter, sed accidentariam, & quodammodo extrinsecam: haud tamen repugnare, vt detur in alio rerum ordine actus amoris essentialiter, & intrinsecè liber, siue indifferens ad vtrumlibet. Quarto cenfeo, libertatem nec in hac rerum serie esse, nec in alia vlla posse esse modum, aut relationem intrinsecam subsequente ad entitatem actus, aut actionis. Quinto denique cenfeo, casu, quo in alio rerum, aut prouidentia ordine libertas foret, actioni conseruatiue essentialis, tum fore;

fore, ut in ea esset duplex libertas: altera intrinseca, atque essentialis: altera extrinseca, & per denominationem, ab indifferentia proxima voluntatis in actu secundo: neque non etiam de facto in actione productiva amoris essentialiter libera præter hanc essentialem libertatem, aliam reperiri accidentariam, & extrinsecam. En totam sententiam nostram in quinque diuisam partes: quas capitibus sequentibus ex ordine probabo, atque ab argumentis contrariis vindicabo.

CAPUT II.

Prima pars nostra, ac verioris sententia probatur.

HVnc in modum. Potest dari indifferentia voluntatis secundum se, & actio productiva amoris secundum se, quin actio ista sit libera: libertas ergo actionis in his duobus non consistat, atque adeo actioni est essentialis: quod enim actio non sit libera per denominationem à suo termino, aut modo libertatis eam consequente suadebitur infra. Antecedens probatur: quia si in instanti A. voluntas sit proximè indifferens, minimè tamen amet; in instanti vero B. sequenti necessiteretur ad amandum, & vi huius necessitatis amorem producat: productio quidem amoris libera non erit, sed potius necessaria; & tamen dabitur ipsa productio, necnon etiam indifferentia proxima voluntatis. Respondebis, libertatem eius actionis consistere in indifferentia proxima voluntatis, & ipsa actione, non utrumque sumptis, sed ut coexistentibus: sicut de fundamento, & termino eorumque prædicationali similitudine dici consuevit. Contra tamen; quia actio illa coexistit indifferentiæ proximæ voluntatis per duplicem modum durationis, alterum intrinsecum actioni, eaque natura posteriorem: alterum vero indifferentiæ proprium: utrumque verò ad idem tempus relatum: at actio illa non est libera formaliter per modum durationis se natura posteriorem: ergo non est libera per coexistentiam cum indifferentiæ proxima voluntatis. Minor suadetur. Primò, quia si voluntas absolueretur diuinitus ab omni tempore, liberè tamen operari posset: at eius operatio non esset libera per modum durationis, quia indifferentia in actu primo coexisteret. Secundò, quia ex opposito sequeretur, supernaturaliter fieri posse, ut actio aliqua voluntatis nec libera, nec necessaria esset: sit enim voluntas indifferens ad amandum, vel non amandum, entitatemque amoris producat, eius vero durationem non producat; Deo ad prius, non vero ad posterius concursum suum exhibente: profectò actio amandi non erit necessaria, quia voluntas non est in actu primo determinata, nec etiam erit libera; quia indifferentiæ voluntatis per modum durationis non coexistit.

Rursus tertio: ut productio amoris denominetur libera per durationem, & coexistentiam cum indifferentia voluntatis, ipsa duratio, eiusque productio voluntati libera esse debet; si enim omnino necessaria, & inuitabilis esset, etiam productio amoris ei uecessaria, & inuitabilis foret, ob connexionem essentialem, quam habet duratio eius actionis cum ipsa actione: aut ergo productio durationis est libera denominatione tantum à libertate actionis, per quam producitur amor; atque ita actio productiva amoris habebit totam suam libertatem, antequam producatur duratio; & consequenter non à duratione, sicut quia actio aliqua externa nonnisi denominatione libera est ab actu interiori voluntatis, hic ante illam omnem

suam libertatem habet: aut potius actio productiva durationis est per seipsam immediatè, & essentialiter libera: & ita potiori iure actio productiva ipsius amoris longè perfectior per seipsam essentialiter libera erit, nec à duratione subsequente libertatem suam emendicabit. Vtremque quartò actionem esse liberam formaliter, est eam proximè posse non esse: at nulla actio denominatur potens non esse per modum aliquem subsequentem: ergo nec libera. Minor constat: quia modus subsequens rem, eam necessario supponit, eiusque existentiam essentialiter, & inuitabiliter postulat: ergo non esse rei essentialiter impedit: ergo non potest ei tribuere posse non esse, sed potius non posse non esse. Quia ratione potentia in actu primo proximo necessaria, quia connectitur essentialiter cum existentia effectus; non potest tribuere ei posse non esse, sed potius non posse non esse. Confirmatur: quia duratio subsequens actionem, aut tribuit illi posse non esse potentia consequenti; & hoc falsum est, cum potius tribuat ei non posse non esse impotentia consequenti; haud aliter ac vi scientiæ visionis actio non potest non existere impotentia consequenti, videlicet ob connexionem essentialem quamuis consequentem visionis cum actione: aut duratio illa subsequens tribuit actioni posse non esse potentia antecedenti: & hoc nonnisi ineptissimè dici potest: cum enim duratio non antecedit, sed potius consequatur actionem, quomodo eam in potentia antecedenti ad non esse intrinsecè constituere potest?

Præterea quintò: actio libera est, quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum, potest poni, vel non poni: actio vero necessaria est, quæ positis, &c. ergo implicat aliquid distinctum ab actione ei tribuere libertatem, aut potestiam antecedentem ad non esse, vel necessitatem, aut impotentiam antecedentem ad non esse, nisi eam antecedit, ad eamve prærequiratur. Hoc sanè manifestum est, tum ex definitione libertatis, tum etiam exemplo scientiæ visionis; quæ quia non antecedit actionem, nec potentiam, nec impotentiam antecedentem ad esse, vel non esse ei tribuit: cum ergo duratio sit realiter distincta à productione amoris, quam tempori commensam facit, aliunde vero eam non antecedit, ad eamve prærequisita non sit: quæ fieri potest, ut ei liberam esse, aut posse non esse potentia antecedenti conferat? Tandem omne, quod actionem liberam constituit, vel se habet ex parte actus primi indifferentis, vel ex parte actus secundi; aut, quod perinde est, vel est id, quod liberum denominatur, vel intrinsecè constituit potentiam proximam indifferentem, per quam aliquid liberum denominatur. Vnde communiter, & merito repelluntur Thomistæ, qui prædeterminationem physicā nec ad actum primum liberum, nec ad actum secundum attingere, sed inter utrumque mediam esse communiscuntur: ergo si duratio actionis eam liberam reddit, vel est ipse actus secundus liber: & hoc est falsum, quia actus secundus libertatis ad amandum, vel non amandum est solum actio amandi; duratio vero, aut actio eius productiva tantum esse potest actus secundus libertatis ad conseruandum, vel non conseruandum amorem: aut potius duratio pertinet ad actum primū liberum, & in ipsa potentia proxima indifferenti intrinsecè clauditur: & hoc etiam sustineri nequit: tum quia aliàs duratio esset prior, & posterior natura, quam amor, aut eius productio, ut intuitu constabit: tum etiam quia aliàs libertatem amoris omnino euerteret, nimirum ob connexionem antecedentem cum illo.

Respondebis secundò, libertatem actionis consistere in ipsa actione, & indifferentia voluntatis, & non in

coexistentia vtriusque, sed in dependentia vnius ab alia: cum autem actio non dependeat effectiue nisi à sola voluntate, ab eius vero indifferentia proxima tantquam à mera conditione; profecto per seipsam ab ea non pendeat, sicut ad eius diuersitatem essentialem ab actione necessario oportet: aliunde vero cum per hanc dependentiam libera sit, eius libertas ab aliquo consequenti non oritur. Hæc tamen solutio facile confutatur: quia dependentia illa actionis ab indifferentia proxima voluntatis, velut à conditione non est aggregatum actionis, & indifferentiæ: hoc enim aggregatum absque libertate, & dependentia dari potest, vñ initio capitis vidimus. Deinde illa dependentia non est coexistentia actionis, & indifferentiæ: tum quia nihil dependere potest à priori ab aliqua causa, & conditione per aliquid se posterius: tum etiam quia iam actio esset libera, per aliquid ipsam consequens. Rursus dependentia illa nequit consistere in decreto aliquo Dei: aut enim hoc decretum est efficax, & ira libertatem actionis tollit: aut etiam indifferens, & inefficax ad vtrumlibet: & sic poterit dari in aliquo instanti sine actione, eiusque dependentia: hæc ergo in eo sita non erit. Vltius ea dependentia nequit consistere in modo quodam actionem effectiuam amoris antecedente: qua ratione actionem directiuam, dependentiamque vnius cognitionis ab alia in modo quodam præuio collocauimus lib. 4. physic. tract. 10. cap. 4. sic enim actio effectiua amoris non libera formaliter, sed necessaria esset: vtpote quam modus ille cum connexionem antecederet. Reliquum igitur est, ut dependentia illa ab indifferentia proxima voluntatis sit essentialis actioni, & in ipsa sola sita sit, sicut ab eius actione necessaria diuersitatem essentialem oportet.

9 Respondebis tertio, nostrum argumentum instanti in libertate contrarietatis. Verum ut hæc instantia eleuetur, animaduertendam est, libertatem contrarietatis aliam esse purè talem: aliam vero partim contrarietatis, partim contradictionis, siue mixtam: libertas contrarietatis purè talis est, qua voluntas, independentè à potestate ad odium, amare potest, vel non amare; & independentè à potestate ad amorem odisse, vel non odisse: vnde duplicem libertatem contradictionis inuoluit. Libertas vero contrarietatis non purè talis, sed mixta est; qua voluntas potest amare, vel non amare: non tamen independentè à potestate ad odium; sed potius cum dependentia ab illa; eo quod non aliter ei integrum sit non amare, nisi per odium amoris oppositum: non vero per nolitionem amoris, eiusve puram omissionem. Porro, cum actus amoris, verbi gratia, est liber libertate contradictionis, aut etiam libertate contrarietatis mixtè talis, propriè quidem, ac strictè liber est: libertas enim propria, ac stricta est, qua actus potest esse, vel non esse à voluntate: huiusmodi autem est vtrique libertas nuper memorata: cum vero actus est liber libertate contrarietatis purè talis, hoc quidem nomine propriè, ac strictè liber non est, sed præcisè ob libertatem contradictionis.

10 Ratio est: quia actus amoris, v.g. habet libertatem contrarietatis purè talis, in quantum voluntas potest odisse: at non est propriè, ac strictè liber, eo quod voluntas possit odisse: ergo neque etiam eo quod libertatem contrarietatis purè talis fortietur. Minor suadetur: quia ut actus ille esset propriè, ac strictè liber per potentiam proximam voluntatis ad odium deberet illam aliquo modo respicere, ut ex capitis initio liquet: vel ergo illam respicit per essentialem ab ea dependentiam; & hoc falsum est: quia amor

liber purè quoad speciem, ut modo his nominibus vtimur, est qui provenit à potentia amandi, vel non amandi; id est, nolendi amare, aut purè omittendi amorem: nullatenus tamen dependet à potentia ad odium, sed per accidens cum ea concurrit; vel amor ille liber respicit potentiam voluntatis ad odium per meram coexistentiam cum illa: atque ita si eo nomine esset propriè liber per aliquid se natura posterius, nempe per relationem coexistentiæ propriè liber esset: quod tamen supra confutatum est. Benè verum est, voluntatem posse proximè odisse esse eam posse non amare: ceterum ut amor non solum in actu primo, sed etiam in actu secundo denominetur proximè potens non esse, proprièque liber ab ea potentia proxima non amandi, siue odio habendi, debet ad eam aliquo modo referri: relatio autem dependentiæ essentialis non datur; & relatio coexistentiæ non sufficit.

11 Hæc cum ita sint; argumenta libertatem contradictionis, aut etiam contrarietatis mixtè talis (vtriusque enim par est ratio) haudquaquam in coexistentia actus primi, & secundi sitam esse probant; idipsum de libertate contrarietatis purè talis nullatenus probant. Quod enim ad primum, & secundum attinet; repugnat quidem, ut actio amandi libera, aut necessaria contradictoriè non sit: aut enim potest proximè non esse, aut non potest proximè non esse: atque inter hæc duo non est medium. Vnde voluntas indifferens absoluta ab omni tempore, cum necessario operari nequeat, eius operatio libera contradictoriè non poterit non esse; cum tamen in eo statu nulla detur relatio coexistentiæ: hæc ergo ad id genus libertatis non exigitur. Similiter voluntas indifferens ad vtramque contradictionis partem, si amorem sine eius duratione producat; eius actio nec erit libera, nec necessaria contradictoriè: quod tamen manifestam contradictionem inuoluit. Ceterum hæc rationes in libertate contrarietatis non militant: voluntas enim proximè indifferens quoad speciem, si vel ipsa absoluitur ab omni tempore iuxta casum primi argumenti, vel eius actio iuxta casum secundi, sanè operationem habebit nec liberam, nec necessariam contrariè siue quoad speciem: quamvis enim inter libertatem, & necessitatem contradictionis, quæ libertatem, ac necessitatem propriè diuidunt, non sit dare medium; est tamen illud assignare inter libertatem, & necessitatem contrarietatis; quarum neutra propriè libertas, aut necessitas est. Sic esto hoc indiuiduum animal, verbi gratia, Petrus debeat esse verus homo, aut vera bellua: ceterum non debet esse homo pictus, aut bellua picta: cum fieri possit, ut neutro modo effigietur: nimirum quia denominationes veri hominis, aut veræ belluæ propriè sunt: homo autem pictus impropriè homo, ac bellua picta pari improprietate bellua est.

12 Quod autem ad reliqua argumenta attinet, omnia in hoc vnum tendunt, ut probent, nullam actionem posse esse propriè liberam per aliquid se natura posterius: quod verissimum est; atque adeò in libertate contradictionis, quæ propriè libertas est, vim habet: at in libertate contrarietatis, de qua loquimur, cum impropriè libertas sit, nullum momentum habet: potest enim aliqua actio esse impropriè libera per aliquid se natura posterius: sicut etiam actio externa est impropriè libera per aliquid natura anterior, & secum connexum, nempe per imperium efficax voluntatis, cum tamen nihil magis obesse videatur libertati, quam connexio antecedens.

CAPUT III.

Eadem pars prima verioris sententia argumentorum solutione probatur.

13 **A**rgumentaberis primo contra primam illam opinionis nostrae partem cap. praecedenti propositam. Hoc ipso, quod detur actio productiva amoris, v.g. & voluntas sit indifferens in actu primo, id est, potens amare, vel non amare circumscripto per intellectum quovis alio; actio illa nequit non esse libera: at indifferencia voluntatis, eiusque ad vtrumlibet potestas est aliquid extrinsecum actioni: haec igitur non solum per seipsam, sed etiam per aliquid sibi extrinsecum libera est. Minor perspicua est: siquidem indifferencia voluntatis in actu primo est realiter separabilis ab actione productiva amoris: ergo nec est praedicatum essentiale illius, nec etiam modus accidentarius illum consequens; ac proinde aliquid ei extrinsecum erit. Maior etiam in aperto est: quemadmodum enim implicat, intellectum cognoscere obiectum, & hoc non cognosci; aut voluntatem amare obiectum & hoc non amari: ita etiam repugnat, voluntatem esse indifferentem, ut ponat, vel non ponat actionem; quin actio supposita etiam eius existentia possit poni, vel non poni: actionem autem absolute posse poni, aut non poni, est eam esse liberam: igitur implicat data actione voluntatem esse indifferentem absque eo, quod actio sit libera: idque tamen omne aliud per intellectum circumscribitur.

14 Respondeo tamen, actionem bifariam esse, ac dici posse indifferentem ad esse, vel non esse; siue ad id, ut ponatur, vel non ponatur: nimirum in actu primo, aut in actu secundo: ut sit indifferens in actu primo, nihil aliud requiritur, quam ut voluntas sit proxime potens eam ponere, vel non ponere: atque ut hoc pacto sit indifferens actio, haud requiritur actualis existentia actionis: & esto omitteretur actio, poterit talem fortiri indifferenciam. Porro ut actio sit indifferens in actu secundo ad esse, vel non esse; opus est, ut actu existat cum respectu aliquo ad indifferenciam voluntatis in actu primo, siue is respectus sit coexistentiae, siue dependentiae essentialis: quando igitur nequit esse coexistentiae propter huius posterioritatem iuxta superius dicta, sane debet esse dependentiae essentialis: libertas autem actionis est huius indifferencia, non praecise in actu primo, (alias actio merè possibilis foret libera, quo nihil absurdius) sed in actu secundo: ac proinde ut haec indifferencia non potest esse denominatio extrinseca ab indifferencia voluntatis in actu primo, ita nec libertas. Itaque ad argumentum in forma, ut aiunt, respondendum est, negata maiori. Ad maioris probationem dicendum est, ut idem est, intellectum cognoscere, & obiectum cognosci, necnon voluntatem amare, & ab ea obiectum amari: ita idem esse ex una parte voluntatem esse indifferentem ad ponendam, vel non ponendam actionem; ac hanc ex alia parte esse indifferentem passivè, ut ponatur, vel non ponatur: ceterum hoc intelligendum esse non de indifferencia passiva actionis in actu secundo, in qua consistit libertas in actu secundo, (qua de agimus) sed de indifferencia passiva in actu primo, quae distinguitur à libertate, de qua est sermo: atque adeo nequaquam confici, quod huiusmodi libertas sit denominatio extrinseca.

15 Argumentaberis secundo hunc in modum: si actio esset per seipsam essentialiter libera, & indifferens

in actu secundo; non posset non dicere, siue habere respectum essentialem ad indifferenciam proximam voluntatis in actu primo, siue ad eius potestatem proximam agendi, & consimilem potestatem non agendi. Atqui actio non dicit respectum essentialem ad hanc vtramque potestatem: ergo non est essentialiter libera. Maior est manifesta. Minor probatur primo: quia potestas proxima agendi est realiter distincta à potestate proxima non agendi, ab eaque toties realiter separatur; quoties Deus exhibitio voluntati concursu ad agendum renuit cum ea ad non agendum concurrere: potest ergo actio aliqua habere respectum essentialem ad unam potestatem nimirum agendi, non vero ad alteram, quae est ad non agendum: cuiusmodi ergo erit omnis actio libera voluntatis de facto existens: saltem ne sine ulla necessitate multiplicentur in ea duo respectus essentialiter: alter ad potentiam agendi: alter ad potentiam non agendi. Praeterea secundo probatur eadem minor: visio tantum respicit potentiam visivam, non vero potentiam proximam audiendi; esto eadem anima videat, & audiat: pari ergo ratione actio productiva amoris solum potentiam amandi, siue agendi; non vero potentiam non agendi essentialiter respiciet: praeterea cum vtraque potentia vtroque ex aequo distinguatur. Deinde tertio probatur eadem minor: actio non postulat, nedum respicit essentialiter destructionem sui: cur ergo petat, aut respiciat potentiam destructivam sui: siue quod perinde est, potentiam non agendi? aut paulò aliter, cum actio tantopere refugiat destructionem sui, cur periculum suae destructionis ex potentia proxima non agendi sibi imminens tantum amet, ut sine eo ne diuinitus esse queat?

16 Respondeo concessâ maiori, & negatâ minori. Ad primam eius probationem dicendum est, potestatem proximam agendi, & potestatem proximam non agendi distinguere quidem inter se invicem, esseque separabiles: ceterum non esse, cur eadem indivisibilis actio non possit essentialiter ambas respicere: quod autem actio productiva amoris liberi de facto existens, ita eas respiciat, probatum est à nobis supra capite praecedenti, ubi etiam quae diximus, suadent haud absque necessitate multiplicari à nobis in praefata actione duos illos respectus essentialiter ad potentiam proximam agendi, potentiamque non agendi. Ad secundam probationem negatâ à nobis minoris, dicendum est; non esse, cur visio potentiam proximam audiendi essentialiter respiciat, cum tamen loco superius memorato efficaciter demonstratum à nobis sit, actionem liberam amandi sine respectu essentiali ad potentiam non amandi subsistere non posse. Ad tertiam eiusdem minoris probationem dici debet, multos respectus esse posse ad potentiam, & non ad eius actum: quia ratione Deus velle potest potentiam peccandi, cum tamen ipsum peccare gratum ei esse nequeat: unde licet actio nequeat respicere essentialiter suam destructionem, eamve postulare; potentiam tamen sui destructivam essentialiter respiciet.

17 Argumentaberis tertio: potest Deus necessitare actionem productivam amoris liberi, eamve de libera facere necessariam: haud ergo est essentialiter libera. Probatur antecedens: si enim Deus concursus suum denegat voluntati ad non agendum, cum vero ad agendum continet, ac sicut antea exhibeat; tunc manebunt principia agendi, sicut antea, solumque principia non agendi mutabuntur: ergo manebit eadem actio, quae antea: & tamen eadem libertas non manebit, ut patet: de liberâ igitur commutabitur actio, quae de agimus, in necessariam.

Respondeo

Respondeo negato diuinitus concursu diuino ad non agendum, eo vero non minus quàm antea exhibito ad agendum, manere quidem omnia principia agendi, quæ antea, cum libertas exercebatur: cæterum nihil falsius, quàm eandemmet actionem manere, eius non perseverante libertate. Ratio est, quia cum actio libera, de qua disputamus, connexa sit iuxta dicta superius cum potentia non agendi, atque impossibilis cum concursu Dei determinato ad vnum, in euentu quidem argumenti manebunt principia agendi eademmet, quæ antea: non tamen ad eandem actionem, sed ad aliam essentialiter diuersam, quæ nimirum potentiam non agendi essentialiter non respiciat, neque impossibilis cum concursu Dei determinato ad vnum.

18 Argumentaberis quartò: libertas contrarietatis non est essentialis actioni productiue amoris liberi: ergo nec libertas contradictionis. Antecedens communiter concedi solet, & probatur: si enim actio productiua essentialiter respiceret potentiam proximam odio habendi, sicut requiritur ad libertatem contrarietatis essentialem, sanè eodem iure omnem aliam potentiam proximam voluntatis essentialiter respiceret; ac proinde actio productiua amoris Dei, v.g. connotaret essentialiter potentiam proximam non solum odio Deum habendi, verumetiam amandi proximum, eique actu misericordiæ subueniendi, & iustitiæ actu ei ius suum tribuendi, item audiendi, videndi, adorandi, &c. si quid possibile est, contingat hominem ad hos omnes actus proximè expeditum esse: atqui actionem productiuam amoris Dei connotare essentialiter potentiam proximam ad tot actus, aliosque plures ridiculum est.

19 Confirmatur, & declaratur: actio productiua amoris per accidens coniungitur cum potentia odio habendi: haud fecus ac actio terminata ad actum iustitiæ per accidens concurret cum potentia proximè productiua actus temperantiæ, aut alterius virtutis: ergo similiter actio productiua amoris per accidens iungitur cum potentia non amandi; ac proinde, &c. Antecedens ab aduersariis non negatur, & ex dictis constat. Consequentia tamen negatur à P. Hurtado disp. 15, de anima sect. 6. quia, inquit, libertas contradictionis est potestas ad amorem, & puram eius omissionem; huiusmodi autem potestas non est multiplex, sed vna tantum; eo quod vno, & non multiplici actu, siue decreto velit Deus concurrere cum voluntate creata ad amandum, & non amandum: is enim concursus est indifferens, neutriquam verò talis esset, sed potius determinatus, si indiuisibiliter non esset ad agendum, & non agendum: quare actio productiua amoris respicit essentialiter potentiam proximam amandi, & non amandi, utpote omnino eandem, & consequenter libera quoad exercitium est: hæc autem ratio non militat in libertate quoad speciem, potestas enim amandi, & odio habendi, cum duos actus positivos respiciat realiter duplex est, & duplici volitione indifferens, altera odium, altera amorem respiciente completur. Hæc tamen solutio non satisfacit: superius enim probatum manet, potentiam proximam amandi, & potentiam proximam non amandi, siue non agendi realiter distinctas, ac separabiles esse. Deinde si libertas contradictionis non esset ad amorem, & puram eius omissionem, sed ad duos actus positivos, videlicet ad amandum, & nolendum amare; par eius & libertatis quoad speciem in omnibus ratio esset, ut Hurtadus ubi supra fatetur: at in creatis ita se habet libertas contradictionis, nullamque omissionem puram respicit, aut potest. Præterea, quæ minus differunt, duo decreta terminant, videlicet amor, & odium:

R. P. Richardi Lyncei, *Philosoph. Tom. III.*

igitur quæ magis differunt, nimirum amor, & carentia, siue ommissio amoris duo decreta diuina terminabunt: atque adeò falsum est, Deum offerre concursum ad amandum, non nisi vnico, ac virtualiter indiuisibili decreto. Hoc argumentum hætenus fuscè positum, atque confirmatum, est omnium, quæ aduersus nos fieri possunt, optimum: cæterum illud adeò fregimus cap. præcedenti, ut iam paruam, aut nullam difficultatem faceßere posse videatur. Alia argumenta, quia minoris momenti, & sponte sua soluta facilia, consulo prætermittimus.

C A P V T IV.

Secunda pars verioris sententia probatur.

20 **A**Tqui in primis quod, uti in ea asseruimus, libertas esse possit in alio saltem ordine rerum actioni conseruatiue amoris, verbi gratia, omnino essentialis, haud est difficile probatu ex dictis supra. Cur enim tali actioni repugnet dependentia essentialis ab indifferentia proxima voluntatis in actu primo, siue à potestate proxima agendi, & non agendi? Talis autem dependentia necessariò coheret cum libertate essentiali. Quæ autem argumenta confici possunt aduersus possibilitatem actionis conseruatiue essentialiter liberæ, iis factum est satis in simili toto cap. præcedenti. Porro autem actionem omnem conseruatiuam liberam de facto existentem gaudere libertate accidentali, & partim extrinseca, uti in eadem secunda nostræ, ac verioris sententiæ parte statuimus, suadetur primò hunc in modum. Actio conseruatiua amoris liberi de facto existens, qualiscunque sit, per seipsum essentialiter durat, cum vel realiter indistincta sit à duratione amoris, quem producit, vel certè cum ea essentialiter connectatur: igitur esto per relationem coexistentiæ cum indifferentia voluntatis sibi partim intrinsecam, partim extrinsecam libera sit, non propterea per aliquid natura posterius libera denominabitur, ut intuenti constabit: igitur non est, cur libertas ei partim extrinsecus, partim intrinsecus non adueniat: saltem ne in illa absque necessitate multiplicentur respectus essentialis: alter nimirum ad voluntatem, alter ad eius indifferentiam proximam. Hæc postrema consequentia suadetur, quia si libertas non posset tali actioni partim intrinsecus, partim extrinsecus aduenire, maximè quia aliàs per aliquid natura posterius ei conueniret: at quòd hoc non sequeretur, proximè supra manet ostensum. Rursus secundò principaliter probatur libertas partim intrinseca, partim extrinseca actionis conseruatiue amoris de facto existentis, quia quæ opponi possunt aduersus eam argumenta faciliem habere solutionem, ut iam iam ostendo.

17 Obicies primò: actio conseruatiua amoris Dei, verbi gratia, de facto existens est essentialiter impossibilis cum actu eam efficaciter imperante, ac proinde cum quouis alio principio necessitante, cum vnus maior, quàm alterius ratio non sit: ergo est essentialiter libera. Antecedens perspicuum est: quia alioqui sequeretur, eandem actionem esse liberam, ac simul necessariam proximè, & formaliter: voluntas enim pro eodem signo naturæ potest esse proximè indifferens ad conseruandum amorem Dei, vel eius omissionem veluti ponendam, necnò etià ad imperandam, vel non imperandam conseruationem præfati amoris. Demus ergo eam imperare efficaciter conseruationem amoris, sanè talis actio conseruatiua amoris erit quidè necess-

M m *aria*

faria propter imperium efficax eam antecedens, & cum ea conexum, ac simul etiam libera formaliter: ea enim actio oritur à voluntate ad eam, vel eius omissionem proximè indifferenti. Ut igitur hoc inconueniens, ac terminorum contradictio euitetur, dicendum est, indifferentiam proximam voluntatis esse ad actionem conseruationem amoris essentialiter impossibilem cum imperio efficaci, & quouis alio principio necessitante, ac proinde essentialiter diuersam ab ea, quæ imperatur efficaciter: quo fit, ut conseruatio amoris efficaciter imperata tantum necessaria sit, non vero libera; eo quod indifferentia voluntatis in actu primo non respiciat, ab eave protueniat, nec etià ab ea respiciatur.

22. Hypothesis autem argumenti suadetur: quia voluntas simul cognoscere potest bonitatè obiecti, & etiam bonitatè ipsius amoris ut conseruandi, siue quod perinde est, conseruationis amoris. Cur ergo pro eodem signo, quo est proximè potens ad amandum obiectum pro sequenti instanti, non possit etià proximè amare, & efficaciter imperare ipsam amoris conseruationem pro sequenti instanti; aut, si malit, ab his actibus superfedere? Rursus: si non posset voluntas pro eodè instanti naturæ duplicem illam indifferentiam proximam habere, maximè quia eius indifferentia proxima ad conseruandum, vel non conseruandum amorem obiecti intrinsecè includit carentiā imperij efficacis, & cuiusuis alterius principij ad amoris cōseruationem necessitante: unde quouisque voluntas ponat carentiam imperij efficacis non poterit esse proximè indifferens ad conseruandum, vel non conseruandum amorem: hac ratio nullius momenti est: indifferentia enim proxima voluntatis ad conseruandum, vel non conseruandum amorem non constituitur per carentiam odij, quamuis efficax odium necessario inferat carentiam amoris, & actionis conseruatiuæ ad eum terminatæ, & cum ea connexionem antecedentem habeat: ergo similiter carentia imperij efficacis non constituit intrinsecè indifferentiam proximam voluntatis ad conseruandum, vel non conseruandum amorem; tamen si conseruatione amoris necessario inferat imperium, & cum ea connexionem antecedentem sortiatur. Antecedens vero, ex quo hac consequentia legitime sequitur, perspicuum est: aliàs enim cum voluntas est libera quoad speciem, atque in eodem instanti reali proximè indifferens ad amoris conseruationem, vel puram eius omissionem, odiumque etiam conseruandum, aut ponendam eius omissionem; in primis carentia amoris esset simul libera, & necessaria, ut suprà arguebamus; libera, ob indifferentiam proximam voluntatis ad amorem conseruandum, vel non conseruandum, necessaria, quia ex principio aliquo antecedenti, & secum connexo, videlicet odio inferretur. Rursus carentia illa amoris, eiusque non conseruatio esset prior, & posterior odio, esset posterior natura, quàm odium, quia ex illo inferretur; esset eo prior natura, quia indifferentia proxima voluntatis ad odium, vel eius amissionem constituitur per carentiam amoris; hac ergo non minus, quàm indifferentia illa odium natura antenuerit: eadem ratione inferri posset, carentiam amoris, & carentiam etiam odij pro instanti, quo amor & odium possunt conseruari, mutuo se antecedere, & subsequi naturæ ordine.

23. Respondeo fieri non posse, ut voluntas pro eodem naturæ signo duplicem illam indifferentiam habeat ob rationem numero superiori insinuatam. Ad primam probationem oppositam dicendū est, indifferentiam proximam voluntatis ad amorem Dei conseruandum, vel non conseruandum præter cognitionem indifferentem aliā insuper requirere, cum in sensu composito eius cognitionis non indifferens, sed necessitata

esset possit vi physicæ prædeterminationis, aut alienius decreti diuini: quare licet pro eodem signo naturæ contingat, voluntatem cognoscere indifferenter bonitatem obiecti, & bonitatè ipsius amoris ut conseruandi; non propterea ad utrumque libere amandum tunc indifferens erit: idcirco autem eius indifferentia pro eo signo proximè compleri potest ad imperium efficax cōseruationis amoris, non vero ad ipsam amoris conseruationem, etsi adsit cognitio ad utrumque sufficiens, quoniam tunc intelligitur carentia omnis principij necessitatis ad imperium, non vero omnis necessitante ad amorem ipsum directè cōseruandum. Ad secundam probationem oppositam dicendum est, in primis nullam eius vim esse, si voluntas creata pure omittere nequit, ut nequire probabilius est. Deinde admissā etiam possibilitate puræ omissionis negari nequit, latum esse discrimen inter imperium efficax, & odium, vel amorem: impedimentum enim consequens, & quod per ipsum actum tolli potest, ante huius positionem auferri non debet, atque adeo exclusio, siue carentia illius non necessario constituit potentiam pro nam ad actum: amor autem est impedimentū consequens respectu odij, & è contrā: unde volūtas non debet constitui proximè potens ad amorem conseruandum, vel non conseruandum per carentiam odij, aut vice versa: sic forma corrumpebat, quia est impedimentum consequens respectu formæ genitæ, & per hanc auferibile non debet intelligi prius destructa, quàm hac producta, nec eius carentia constituit potentiam proximam ad huius productionem. Cæterum imperium efficax est impedimentum antecedens, non vero consequens respectu exercitij potentia libera, aut per illud auferibile: per amorem enim auferri non potest, cum hic sit eius effectus, illudque supponat: per carentiam etià amoris auferri nequit, cū hac immediatè tantum auferat id, cui opponitur; amor autem directo, non vero imperio efficaci reflexè opponatur.

24. Obiicies secundò: potentia libera maiori conatu operatur, quàm potentia necessaria, & hac minori: at maior, & minor conatus realiter differunt: ergo conatus potentia libera, & conatus potentia necessaria diuersi sunt: ac proinde, cum conatus potentia in effectum sit eius actio, non poterunt non differre actio potentia libera, & actio potentia necessaria: quo fit, ut actio potentia libera, per quam aliquè actū producit, aut conseruat, sit essentialiter libera. Maior probatur: potentia libera claudit duplicem potentiam proximam, alteram ad producendum effectum, alteram ad eum omittendū: potentia verò necessaria non nisi vñ tatum, videlicet ad operandum: potentia ergo libera duplicè habet inclinationem, alteram ad effectum, alteram ad eius omissionem, cum tamen potentia necessaria in solum effectum inclinetur: conatus ergo potentia libera in effectum vincit eius inclinationem ad omissionem effectus, cum tamen conatus potentia necessaria nullam inclinationem ad oppositum deuincat: ergo conatus potentia libera superat aliquam difficultatem, quam non superat conatus potentia necessaria, ac proinde eo maior, & vehementior est. Respondeo, potentiam liberam non operari maiori conatu, quàm eandem potentiam, cum per accidens necessitatur: siquidem eadem actione, eodemque conatu, quo necessario operatur, ac nullam inclinationem in oppositum superat, posset eam superare, si adesset: quod vero de facto eam non superat, non ex defectu virtutis, aut efficacis in actione prouenit, sed ex defectu materiæ circa quam, & quia non datur inclinatio illa in oppositum, quæ nisi cum potentia proxima ad oppositum non reperitur. Quod si de actione potest per se necessarie sermo sit, haud inficiat actionem liberam ab ea specificè distingui, idque

idque argumento posito concludit; ceterum ad talem distinctionem satis est, quod actioni libera, qua aliquid conseruatur, aut etiam producit, essentialia sit, quod possit esse libera, non vero quod actu sit libera.

25

Illud silentio praetermittere non possum, duo superiora argumenta manifestissime instari in libertate quoad speciem. Demus, voluntatem esse indifferentem proximè ad amandum, vel odio habendum, pro eodemque naturae signo esse indifferentem ad imperandum eodem indiuisibili actu amorem, & carentiam odij, vel ad eiusmodi imperium omittendum: quod si contingat, voluntatem in hoc euentu indiuisibiliter imperasse amorem, & carentiam odij, amor imperatus erit liber quoad speciem, cum proueniat à voluntate proximè indifferenti quoad speciem, erit etiam simul necessarius quoad speciem, cum actus volens efficaciter amorem, & simul nolens efficaciter odium necessitate videatur quoad speciem; atque ita antecedit amorem, vt ex suppositione illius non possit voluntas odisci: qua ratione imperium efficax solius amoris ad eum necessitat quoad exercitium, quia illum antecedit, & ex eius suppositione non potest voluntas non amare. Rursus quilibetatem quoad speciem exercet, à bono, vel malo opposito attrahitur, vel retrahitur, ne hoc obiectum amet; atque adeò maiorem difficultatem superat, quam si liber quoad exercitium esset, vnumque solum obiectum ei amandum, vel non amandum proponeretur. Duo ergo argumenta superiora in libertate contrarietatis infringuntur. Reliqua argumenta, quia minoris momenti, omitto.

C A P V T V.

Tertia pars nostra, ac verioris sententiae probatur.

26

Duo autem in ea adstruimus: alterum est, possibile esse in alio rerum ordine qualitatem amoris, cui libertas sit omnino essentialis, & intrinseca: alterum est de facto omni actui, siue qualitati amoris, v.g. libertatem esse non omnino essentialem, sed partim intrinsecam, partim extrinsecam. Prius autem horum satis constat ex dictis c. praeced. vt enim ibi disputauimus in simili, quae esse potest repugnantia in qualitate amoris essentialiter libera? Quod aduersus eam argumentum, quod urgeat? Posterius autem facillimum probatu ex dictis est: quia, si actio conseruatiua amoris, quamuis modus sit, & entitas respectiua, non tamen respicit essentialiter indifferentiam voluntatis, sicut ad libertatem essentialem oportet; multò minus eum respectum habere poterit ipse amor, cum qualitas absoluta sit. Deinde calor vel ab igne, vel à luce, vel à sole, vel ab alio colore, aliisque innumeris causis valdè dissimilibus per dissimiles actiones prouenire potest. Amor igitur à fortiori produci poterit ab eadè voluntate, in quocunque statu sit, & siue indifferens siue determinata sit. Antecedens ex lib. 5. Physicæ constat. Consequentia in aperto est: si namque calor quantuis imperfectionis sit, à nulla tamen causa determinata essentialiter pender, sed à quacunque in particulari sumpta independens est: sanè amor perfectissimæ, & incorporeæ entitatis, erit independens à quouis statu voluntatis, eiusque indifferentia, vel determinatione, vt vt ab ipsa voluntatis substantia ratione suae vitalitatis saltem ex natura rei dependens sit. Praeterea rationes omnes, quibus actionem non esse essentialiter liberam, aut cum indifferentia voluntatis

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

inseparabiliter connexam ostendebamus, in ipso amoris actu locum habent, vt meditati constabit. Tandem idipsum suaderi potest solutione argumentorum, quae obici possunt in contrarium.

27

Obiicies ergo primò: actus liber, quia liber est, & à necessario diuersus, est obiectum specialis complacentiae diuinæ, cui neuiquam obiceretur, si non liber, sed necessarius esset: at nequit esse obiectum specialis complacentiae Dei, nisi ob perfectionem aliquam sibi intrinsecam: igitur actus liber, quia liber est, & à necessario diuersus, habet perfectionem aliquam sibi intrinsecam, quam non haberet, si necessarius esset: atque adeò actus liber est intrinsecè diuersus à necessario. Maior in conspicuo est: actus enim liber, quia talis est, primum meretur; cuius tamen meritorius non esset, si non liber, sed necessarius foret: quod autem pramio dignum est, eo ipso specialem aliquam complacentiam remunerantis terminat: cur enim pramium operanti conferret, nisi eius opus ei placeret? actus igitur merito suae libertatis specialem aliquam complacentiam Dei meretur. Minor autem argumenti suadetur: quia seorsim à perfectione aliqua intrinseca actui libero vt tali, quid illud esse potest, ratione cuius peculiarem complacentiam meretur? Haud enim est entitas actus, cum hac omnino eadem sit, siue actus sit liber, siue necessarius. Haud etiam indifferentia voluntatis in actu primo: hæc enim non magis amabilis est, quam eius determinatio in actu primo, cum Deus vtramque in diuersis circumstantiis ex a quo velit; & quod caput est, vtraque inuoluit decretum aliquod Dei infinitæ bonitatis, & amabilitatis. Adde etiam quod actus malus, quia liber est, terminat specialem displicentiam Dei: at non ob indifferentiam proximam voluntatis: hæc enim Deo non displicet, sed potius eius decretum aliquid sibi summe gratum inuoluit: ergo nec etiam actus bonus merito indifferentiae in actu primo specialis complacentiae obiectum erit. Tandem id ratione cuius actus liber speciali complacentia diuina dignus est, non est aggregatum ex ipso actu, & indifferentia voluntatis, cum enim quæuis eius aggregati pars speciali illa complacentia digna non sit, & actus liber nihil habeat per se magis amabile, eo quod in actu necessario reperitur, qui fieri potest, vt aggregatum ipsum specialem illam complacentiam mereatur.

28

Verum non est difficile huius argumenti vim multis infringere instantiis: actus namque moraliter bonus si persona per eum operans sancta, ac grata sit, est meritorius de condigno gloriæ, & vltius gratiæ; atque adeò specialis alicuius complacentiae obiectum est, cui non obiceretur, si operans in gratia non esset, sed in peccato esset: at gratia operantis huic soli intrinseca est, eius verò actui extrinseca, & minime vnita: igitur actus est obiectum specialis complacentiæ, qua Deus ad pramium mouetur per aliquid sibi partim intrinsecum, partim extrinsecum, scilicet per suam entitatem, & etiam per gratiam, ac dignitatem operantis: similiter ergo in presenti, &c. Sicut ergo nec sola dignitas, & gratia operantis pramio illo vltioris gratiæ, & gloriæ digna esset, nec sola eius operatio; & tamen complexum vtriusque meritum illud de condigno: obiectumque specialis complacentiæ diuinæ constituit; ita non video, cur aggregatum indifferentiæ voluntatis, & ipsius actionis liberae hanc Deo specialiter placere non efficiat. Eadem instantia proponi potest in peccato habituali peccatum enim praeteritum secundum se pœnam non meretur, & nec Deo displicet, nec hominem ei displicere efficit; & tamen aggregatum vtriusque peccatum

M m 2

habituali

habitualemente Deo displicens, ac poenae meritum constituit; actusque praeteritus partim per seipsum, partim per carentiam diuinæ condonationis sibi extrinsecam, Deo displicens, & supplicio dignus efficitur. Similiter instantia fieri potest in actu moraliter bono, qui per liberam conseruationem, maioremque durationem magis meritorius est, & specialem Dei complacentiam terminat. At iuxta P. Hurtadum duratio est denominatio partim intrinseca, partim extrinseca, atque in existentia actus, & tempore labente sita. Rursus non ab similibus instantia fieri potest in sententia plurium aduersariorum admittentium ex maiori gratia ceteris paribus crescere meritum actus. Tandem instari potest argumentum in libertate quoad speciem actui extrinsecam: actus enim liber hoc genere libertatis est multo magis meritorius, quam si solum esset liber quoad exercitium, ob maiorem difficultatem, quam superat.

29 Obiicies secundo: potentia libera est intrinsece, & essentialiter perfectior, quam potentia necessaria, ut manifestum est: at potentia perfectior maiorem perfectionem in suos actus refundit: qua ratione homo, quam equus; & hic, quam lapis perfectiores operationes habet: ergo potentia libera refundit maiorem aliquam perfectionem, quam necessaria in necessarium: atque adeo actus liber suapte natura perfectior est necessario, & quod consequens est, ab eo essentialiter diuersus. Respondeo, potentiam liberam esse perfectiorem eam potentiam, quae per se necessaria est; & tamen non solum ad aliquos, sed etiam ad omnes suos actus necessitatem habet; qua ratione homo equo, & leone, ceterisque agentibus naturalibus multo perfectior est: potentiam tamen liberam esse magis perfectam potentiam per accidens necessariam, & quae eiusmodi est non in ordine ad omnes actus, sed tantum ad aliquos; quin imo potentiam liberam, & potentiam hac ratione necessariam esse omnino eandem, & solum extrinsece ratione alicuius comprincipij, aut concursus diuini, non vero intrinsece: & essentialiter differre. Hinc autem duntaxat colligitur, actum liberum hominis, actumque necessarium equi intrinsece differre: actum vero liberum hominis, eiusdemque actum necessarium extrinsece tantum differre: hac enim ratione, & non alia diuersitas actuum diuersitatem principiorum imitatur. Obiicies tertio: actus liber oritur ex cognitione indifferenti, & necessarius ex cognitione determinata, atque adeo ex diuersis specie cognitionibus: at diuersas specie cognitiones sequuntur diuersi specie affectus: ergo actus liber, & necessarius specie diuersi sunt. Maior conspicua est. Minor autem probatur ab Hurt. disp. 14. de anima sect. 6. tum quia diuersa facultas cognoscitiva diuersam etiam facultatem appetitiuam re, aut ratione infert: unde sicut sensus, & intellectus, sic etiam appetitus sensitivus, & voluntas specie distinguuntur. Tum etiam, quia cognitio boni in bellua non intentionem, & electionem, sed alios affectus inferioris speciei, & ordinis infert: at non alia ratione, nisi quia licet obiectum sit idem, eius tamen cognitio in homine, & bellua est longe diuersa.

30 Fateor cognitiones specie diuersas effectus specie diuersos sapissimè inferre: id quod argumentis à Patre Hurtado adductis haud male probatur. & ulterius etiam suaderetur contra P. Vasquez 1. 2. disputatione 2. capite 2. oppositum tuentem. Si cognitio non posset nunquam variare affectum, maximè quia cognitio non est principium effectuum, sed directiuum, meraque dispositio, siue cognitio sine qua voluntas non amaret: at quòd principium non effe-

ctuum speciem tamen effectus variare possit, multis probatum manet lib. 4. Physic. tract. 1. capite 3. & vel inde constat, quòd essentia diuina non sit principium productiuum Verbi, & tamen ea variata terminus productus idem non esset. Quod vero omnes affectus orti à cognitionibus diuersis, diuersi sint, nullatenus verum esse potest. Primum, quia causae efficientes specie diuersae haud raro eundem specie effectum producant, ut cum ignis, lux, & sol calorem efficiunt: igitur à fortiori causa directiua, quae minus in effectum influit, non poterit variare speciem effectus in omni euentu; ac proinde, cum cognitio sit causa directiua, à diuersa cognitione, non diuersa, sed eadem volitio interdum manare poterit. Hinc respondeo argumento proximè facto, cognitionem indifferentem, & cognitionem determinatam ad vnum, ut specie diuersae sunt, inferre quidem posse aliquos actus voluntatis specie diuersos; cum altera amorem, aut odium, seu nolitionem amandi causare possit; altera vero non nisi solum amorem: ceterum ab iis aliquando eundem specie affectum oriri posse; atque adeo amorem liberum, amoremque necessarium ab utraque prouenientem, eundem, & non diuersam specie esse. Respondeo secundo, cognitionem indifferentem, & determinatam non distingui adaequatè, sed inadaequatè tantum: cognitio enim boni seorsum à cognitione mali, aut alterius rationis, boni amorem impediens est determinata; simul vero cum illa eadem cognitio indifferens est. Hinc igitur est, amorem liberum prouenientem à cognitione indifferenti non differre adaequatè, sed inadaequatè, & extrinsece tantum ab amore necessario, cui cognitio determinata praelucet: haud aliter ac cognitio ipsa indifferens à cognitione determinata non nisi inadaequatè tantum, & per aliquid libi extrinsecus adiunctum discriminatur.

31 Obiicies quarto: actus vitalis intrinsece, & essentialiter differt à non vitali, actusque voluntarius à non voluntario: euident enim est, cognitionem, & volitionem ab operationibus rerum insensibilium non accidentaliter, aut extrinsece tantum differre: similiter ergo actus liber à necessario differet. Respondeo concessio antecedenti, & negata consequentia: siquidem actus liber differre potest à necessario per hoc, quòd actionem diuersam, nempe essentialiter liberam terminet; aut per hoc, quòd tam ipse actus, quam actio indifferentiæ voluntatis coexistant: haec autem denominationes actui libero extrinsecae sunt, ac proinde eius ab actu necessario discrimen extrinsecum erit. Ceterum actus vitalis, aut voluntarius, cognitio videlicet aut amor ab actu nec vitali, nec voluntario, calore v. g. aut frigore seorsum à quavis actione, aut relatione coexistentiae differt, quia entitatiue perfectior est, & perfectiores etiam effectus, perfectioresque causas postulat.

CAPUT VI.

Quarta, & quinta pars probabilioris sententiae suaderetur.

32 A sseruimus quarto loco, libertatem formalem, & in actu secundo sumptam consistere non posse in modo aliquo intrinseco, & accidentario actionem, aut actum, liberum consequente. Quod me iudice manifestum, & euident est, ac probatur hunc in modum: pro priori naturæ ad illum modum intelligitur actio existens, atque adeo dependens ab omnibus suis causis: vel ergo dependens à voluntate indifferente

indifferente ad utrumlibet: & sic pro eo priori libera erit: vel à voluntate determinata ad vnum: atque ita erit necessaria, & impossibilis cum modo illo libertatis subsequente. Rursus secundo: modus ille libertatis, quem comminiscuntur aduersarij, est ens reale: ergo producitur per actionem aliquam: tum sic: actio productiua illius modi aut est libera pro priori naturæ per alium modum distinctum à suo termino: & sic infinitus processus modorum perspicue sequitur: aut est libera per se ipsam essentialiter, ante modum omnem libertatis: atque ita etiam actio productiua ipsius amoris ante omnem libertatis modum per se ipsam, & essentialiter libera erit: frustra igitur, & per quam ex vano dicitur, libertatem in modo illo accidentario, & consequente esse sitam. Præterea: bonitas, & malitia moralis non sunt modi consequentes existentiam actus, quem bonum, malumve in genere amoris denominant: atqui ambæ includunt formaliter libertatem: hæc ergo nequit esse modus consequens entitatem, & existentiam actus liberi, actionisve per quam producitur. Minor syllogismi suadetur: quia bonitas, & malitia moralis sunt formaliter meritoria præmij, ac pœnæ: hosque effectus suo sibi iure vendicant: meritum autem formale præmij, aut supplicij quæ esse, aut intelligi potest sine formali exercitio libertatis? Bonitas ergo & malitia moralis libertatem in suis conceptibus claudunt, eamque reuera important. Maior autem eiusdem syllogismi, nempe bonitatem, & malitiam moralem haud esse modos consequentes hunc in modum breuiter suadetur: non potest bonitas & malitia moralis in eo immediate consistere, in quo nulla elucet formalis, & immediata libertas: non elucet autem in modo consequente: ergo, &c. illud prius perspicue ostenditur: quia bonitas, & malitia moralis absolute loquendo postulant libertatem aliquam, & sine hac minime subsistunt: ergo bonitas, & malitia moralis si sint formaliter, & immediate tales, nec denominatiue, & mediate conueniant, eo ipso postulant libertatem non qualemcumque, sed proximam, & immediatam: eo igitur modo sumptæ haud possunt in eo consistere, ibiue reperiri, ubi nulla reperitur formalis, & immediata libertas. Quod etiam inde vltius patet, quia bonitas, & malitia moralis primario, & immediate non reperiuntur in actione exteriori, nec ei competunt nisi per denominationem ab interna voluntatis actione: sed non alia ratione nisi quia actio exterior non est immediate libera: ergo, &c. Postremo principaliter suadetur quarta illa nostræ, ac verioris sententiæ pars: quia libertas est relatio actus, actionisque ad indifferentiam voluntatis: aut ergo est relatio essentialis alterutri; siue, vt loquuntur alij, transcendentalis: & sic nequit consistere in modo consequente, & realiter distincto: aut est actus, actionisve intuitu relatio prædicamentalis, ac minime essentialis: & sic etiam patet quod non sit modus consequens: cum vniuersim loquendo relationes prædicamentales non esse modos fundamentis, ac terminis suis superadditos ostenderimus superius lib. 3. huius operis, cum esset sermo de prædicamento ad aliquid.

33. Asseruimus quinto, & vltimo loco actioni essentialiter liberæ, siue conseruatiua sit, siue primò productiua, duplicem in esse libertatem: alteram essentialem, & omnino intrinsecam; alteram accidentariam, & ex parte extrinsecam. Probat autem: quia actus essentialiter verus, & falsitati repugnans supra veritatem intrinsecam, & essentialiter

R. P. Ricardj Lyncei, Philosoph. Tom. III.

lem habet aliam extrinsecam, & in obiecto ex parte sitam, vt in Dialectica lib. 10. & postremo à nobis est ostensum. Similiter ergo in præfenti, &c. Idem suadetur etiam ex eo, quod quauis res creata essentialiter pendens à Deo per duplicem dependentiam, & productionem ab eo pendeat: quod item intellectus noster per duplicem semper intellectionem intelligat obiectum: quod etiam anima nostra duplici prædita sit intellectu, agente scilicet atque patiente: quæ omnia locis suis sunt demonstrata. At inquit: materia v. g. hoc ipso quod sit existens per seipsam essentialiter, nequit existere per existentiam formæ: aliud enim est existere per existentiam formæ: aliud per eam compleri: siue, quod eodem redit, aliud est per eam absolute, & sine additamento denominari existentem: aliud per eam completè existere: horumque posterius tamen concedatur, concedi tamen nequit prius, nec certè ab vilo conceditur. Pari ergo ratione hoc ipso, quod actio aliqua sit essentialiter libera, haud poterit dici libera per denominationem extrinsecam ab indifferentia voluntatis. Sed admissio antecedenti neganda est hæc consequentia. Ratio discriminis est: quia quò minus indifferentia voluntatis supposito respectu essentiali ad eam actionis libera, & se habente instar applicationis, siue conditionis sine qua non, talem actionem denominet liberam, non obstante eius libertate essentiali, nihil obesse potest, nullumque suppetit argumentum, quo id falsitatis euincatur: cum tamen argumenta omnia probantia indistinctionem realem essentia ab existentia, aut nulla sint, aut certè id conuincant, materiam non posse dici simpliciter, & absolute existentem per existentiam formæ à se realiter distinctam: a fortiori ergo per eam non existere, si ante eam præsupponatur existens per semetipsam.

C A P V T VII.

An prædefinitio Dei efficax sit composibilis cum libertate creata?

34. **N**ON pauci nostræ Societatis Doctores cum P. Molina, & Vasquez negatiue respondent: argumenta, quibus mouentur, sunt sequentia. Præfinitio efficax Dei antecedit naturam actum voluntatis creatæ, & cum eo connectitur essentialiter: igitur ei necessitatem antecedentem importat, atque adeò eius libertatem euertit. Quod si dicatur, præfinitionem efficacem supponere scientiam mediam, nec nisi per ea auxilia, quæ Deus videt habitura effectum, si ponantur, consensum voluntatis discernere: vnde non simpliciter, sed secundum quid eum antecedere: in contrarium est, quoniam præfinitio supponens scientiam mediam, hoc ipso tantum supponit actum in statu conditionato, non vero in statu absoluto: igitur eum in statu absoluto simpliciter antecedit; ac proinde eius libertatem in hoc statu euertit. Responderi solet huic argumento, præfinitionem non antecedere simpliciter, sed secundum quid tantum arbitrii nostri consensum, tribus de causis: quarum singulæ si non sufficiunt, omnes tamen collectim sumptæ sufficiētissima sunt: nam primo efficax illa præfinitio non est principium immediatum operis, sed mediatum duntaxat. Deinde secundo non requiritur essentialiter ad actum præfinitum, quin potius hic sine illa esse potest. Rursus tertio scientiam

M m 3 mediam,

mediam, atque adeo actum in aliquo statu videlicet conditionato sequitur. Hinc est, ut quamvis Deus ex suppositione scientiæ mediæ consensum voluntatis Physicæ prædeterminaret; non propterea eius libertatem indemnem seruaret: non solum quia prædeterminatio, non per se, & essentialiter, sicut præfinitio; sed per accidens tantum scientiam mediam supponeret; verumetiam quia esset principium immediatum operis, & ad illud omnino requisitum.

35. Arguunt secundo eius sententiæ assertores, & præcedenti argumento robur addiunt: præfinitio efficax est principium immediatum actus præfiniti: at iuxta omnes principium immediatum simpliciter, ac propriè effectum antecedit: ergo, &c. Maior suadetur: quia omnis voluntas efficax creaturæ rationalis terminata ad operationem in eius potestate constitutam, est executiua; hoc est, eius potentiam actiuam immediatè applicat ad operandum, ut in voluntate efficaci deambulandi experimento constat. Hoc argumento alij ad impugnandas præfinitiones efficaces, alij vero ad excludendos à Deo ordines intentionis, & executionis, inter se ratione distinctos, vtuntur. Ei tamen responderi solet negata eius maiori. Ad primam probationem dici solet, non omnem volitionem efficacem creaturæ rationalis eam ad operandum proximè applicare, nisi sit efficax ordine executionis, non vero solius intentionis: quocirca multoties quis ex amore Dei eleemosynam dare decernit: & tamen hoc decretum efficax non applicat immediatè manus ad eius largitionem, sed aliud decretum natura posterius; cuius motuum non charitatis, sed misericordiæ sit. Secundo dici solet, præfinitionem efficacem non decernere; aut desiderare efficaciter actum præfinitum, sed esse simplicem, & inefficacem complacentiam respectu illius: totam vero eius efficaciam in ordine ad volitionem collatiuam auxilij, quod videtur congruum esse, & respectu huius solius imperium, ac desiderium efficax esse. Arguunt tertio: ut actui nostræ libertatis sua libertas constet, non debet immutari modus operandi præuisus in statu conditionato: hoc est, produci debet dependenter ab iis solum principiis, quæ per scientiam mediam præuisa erant habitura effectum, si ponerentur, at admissa præfinitione immutatur modus operandi præuisus in statu conditionato: siquidem in statu absoluto actus dependenter à præfinitione existit, & tamen per scientiam mediam solum videtur actus exiturus, si detur auxilium indifferens, non vero si præfinitur: quia actum exiturum esse, si præfinitur, est præfinitionem esse efficacem, & essentialiter connexam cum actu: efficacia autem & connexio essentialis præfinitionis cum actu, sicut & quoduis eius prædicatum essentialiter per scientiam simplicis intelligentiæ, non vero mediam cognoscitur. Responderi tamen solet, antecedentiam præfinitionis, & posterioritatem, siue dependentiam actus præfiniti aut indistinctas; aut certè correlatiuas esse: vnde sicut præfinitio non antecedit simpliciter actum: ita hic ab illa simpliciter non dependet, sed potius concomitatur: quare non immutatur vi præfinitionis modus operandi præuisus in statu conditionato: siquidem actus nullam habet dependentiam propriè sumptam ab aliquo principio, quæ per scientiam mediam præuisa non erat, sed solum aliquam dependentiam improprie sumptam, nimirum ab ipsa præfinitione.

36. Arguunt quarto: præceptum moriendi Christo imposuit, ei moriendi necessitatem intulit, ac

non moriendi libertatem abstulit: at eiusmodi præceptum non erat principium immediatum actus, per quem Christus vsque ad mortem obediuit: non enim nisi media cognitione, & acceptione sui cum obedientiæ actum causare potuit: ergo licet præfinitio non sit principium immediatum, &c. Verum in primis multi Theologi sunt, qui mortem etiam absolutè, & quoad eius substantiam Christo liberam esse tuentur: eo quod potuerit Christus à Patre dispensationem præcepti petere, & impetrare. Rursus dici potest, præceptum mortis effecisse, ut carentia mortis esset peccatum, & mors ipsa consequenter non peccatum, siue non peccandi vnicum, ac necessarium medium: cum ergo Christus vi vnionis hypostaticæ necessitatem non peccandi habuerit, mirandum non est, quod etiam mortis sibi præceptæ necessitate non caruerit: quocirca præceptum non idcirco mortem necessariam efficiebat, quia erat influxus medius in illam, sed quia erat circumstantia quadam ex parte operis sese tenens: quæ ratio in præfinitione non militat, ut vel leuiter attentio constabit. Arguunt quinto: præfinitio efficax actus opponitur ac repugnat, essentialiter cum voluntate præparatiua concursus indifferens: atque adeo cum libertate. Id prolatum: quia voluntas illa præparatiua facit Deum velle actum, & etiam quantum est ex se carentiam actus: at præfinire, ac decernere efficaciter actum, & velle quantum est ex se carentiam actus, omnino opponuntur. Responderi tamen solet; aliquo obiecto efficaciter volito, eius carentiam ineffaciter amari posse: ac proinde in præfinitio, &c. Tandem arguunt: si posset Deus illæ libertati operum nostrorum ea efficaciter præfinire; similiter ante vlla merita nostra absolutè præuisa poterit nos efficaciter eligere ad gloriā: idque absque præiudicio nostræ libertatis, quālibet efficax illa electio merita nostra antecedit, & cū iis connectitur. Consequens autem absurdum est: quia aliās gloria non posset esse præmium, aut corona nostrorum meritorum: præmium enim debet esse aliquid aliunde indebitum: quod enim aliunde, & independentè à meritis debetur, eorum præmium esse non potest: id namque esset mereri quod iam habes; & merita tibi non magis conferre, quàm si non mereris: admissa autem eā efficaciter electione ad gloriam, hæc independentè à meritis nobis indebita est: cum independentè ab iis absolutè præuisis, atque adeo omnino gratis gloriæ donationem nobis Deus fecerit.

Verum optime sustineri potest, gloriam esse coronam, & præmium meritorum nostrorum; esto ante hæc absolutè præuisa ad eam efficaciter eligamur. Ratio est: quia cum dicitur gloria gratis, atque independentè à meritis absolutè præuisis nobis donari, voculæ illæ *gratis* & *independentè* supra voluntatem dandi, non vero supra eius obiectum appellant: quasi sensus sit actum, per quem Deus gloriam nobis donat, gratuitam quidem esse, & liberalem, atque quibuscumque meritis nostris absolutè futuris anteriorem: ceterum gloriam ipsam non gratis, aut liberaliter, sed dependenter à meritis, & propter illa conferri. Vno verbo: electio ad gloriam est voluntas quædam vendendi gloriam propter merita; ac proinde ex se quidem liberalis est, ex parte vero obiecti onerosa. Hoc autem satis est, ut gloria possit esse præmium meritorum non obstante anteriori illa, & gratuita electione ad illam: quæ ratione pecunia est merces, & præmium eorum quæ quis amico, quia talis est, vendit; quantumvis voluntas vendendi gratuita, & liberalis sit.

Enim

38

Enimvero alij Societatis nostræ Theologi oppositam sententiam tuerentur, & magis communiter quidem cum P. Suarez, & Fonseca: potissimum autem, & ferè vnicum fundamentum, cui innituntur, huiusmodi est, complexum auxilij, & scientiæ mediæ, quæ Deus videt illud, si conferatur, futurum efficax, antecedit naturam consensum arbitrij, & cum eo connectitur essentialiter; & tamen eius libertatem non destruit: ergo etiam absque vlllo libertatis præiudicio efficax prædeterminatio Dei actum prædeterminatum antecedere, & cum eo connecti poterit: connexio essentialis eius complexi cum consensu arbitrij conspicua est: alias quidem scientia mediæ falsa esse posset: eius autem anteceden- tia videtur negari non posse: auxilium enim immediatè consensum antecedit: scientia autem mediæ dirigens Deum ad collationem auxilij hoc ipso auxilium, ac proinde consensum ipsum mediæ antecedit. Non me later, aliquos ex nostris directionem scientiæ mediæ negare: cæterum facile refelli possunt. Ad id enim utilis est scientia mediæ, ut salutem libertatem conferat Deus speciale beneficium ei, quem conuertit, multoque maius quam non conuerso, alterumque ab altero discernat: sed ad hunc usum scientiæ mediæ opus est, ut ea ad collationem auxilij dirigat: necesse enim est, ut ideo Deus huic conferat auxilium, quia videt illud esse efficax: Deum autem conferre auxilium, quia videt illud esse efficax, est dirigi à scientia mediæ efficaciam ad collationem auxilij: sicut amari obiectum, quia eius bonitas cognoscitur sine directione cognitionis ad amorem non usu venit. Quod si Deus confert prædeterminatum auxilium efficax, non tamen quia videt illud esse efficax, maius bonum ei, quam reprobo intendet; non tamen quia eius maius bonum est: atque adeo ea voluntas non erit specialis, maiorque beneuolentia, sicut ad maius beneficium oportet: beneuolentia enim ex obiecto materiali: unde qui bonum alterius, quia eius bonum est, & maius bonum, quia tale etiam est, vult, in eum beneuolus est: qui vero bonum alterius absolute, aut magis tale vult in seipso esse bonum, aut magis bonum alterius, vel si id scit non propterea, sed quia malum eius est hic in eum beneuolus esse non censetur.

39

Plures solutiones huic argumento adhiberi solent, quæ cum omnes directionem scientiæ mediæ negent, omnem etiam eius usum me iudice de medio tollunt. Aliam igitur solutionem exhibeo, cuius nouitatem, ac singularitatem, necnon etiam difficultatem, quam negare nequeo, materiæ difficultas excusabit. Censeo ergo scientiam mediæ dirigere ad collationem auxilij, atque eam necnon conuersionem liberam antecedere: pari etiam, imò maiori ratione ipsum auxilium conuersione antèius esse. Cæterum hoc non obstante complexum vtriusque conuersionem liberam natura non antecedere. Hoc suadetur: quia nulla connexio cum arbitrij nostri consensu libero potest esse anteceden- s: at complexum illud seipso connectitur essentialiter cum consensu libero, esto nulla eius pars cum illo connectatur: igitur complexum nequit antecedere consensum quantumvis quævis eius pars eum antecedar. Rursus esto quævis pars alicuius compositi causetur, non propterea complexum causari oportet, ut cernere est in entationis: quod, cum impossibile sit, nequit à Deo causari proprie, cum tamen quævis eius pars, ut est ens reale, sic à Deo causetur: ergo etiam quævis pars complexi, de quo

loquimur, potest antecedere, & causare consensum liberum, quin tamen ipsum complexum eum causet, aut antecedar. Præterea quoduis instans æternitatis à parte post est prius tempore aliquo alio instanti: & tamen ipsa æternitas omnia instantia complectens non est prior alio instanti: & aliàs aliquod instans esset posterius tota æternitate & eam clauderet: unde illa non æternitas, sed tempus foret: ergo similiter, &c. En vtramque sententiam quas proposuisse nostrum fuerit; quænam vero alteri præponenda sit, aliorum est iudicium: mihi sanè ambæ probabiles videntur.

40

Hactenus autem de prædeterminatio efficaci supponente scientiam mediæ: proximum est, ut breuiter de ea agamus, quæ illam minimè præsupponit. Multi Theologi nostri eodem modo de vtraque philosophantur, quibus acquiesco: si enim prædeterminatio efficax supponens scientiam mediæ, & actu in statu conditionato posterior eius libertatem euerit, id ipsum de prædeterminatio per scientiam mediæ non regulata à fortiori dicendum est. Quod si prior illa prædeterminatio cum libertate conciliari potest; posteriorem etiam cum ea composibilem esse suadeo: quia modus operandi regulatur à principiis immediatis, eiusque ut summum requisitis essentialibus: quare ubi hæc indifferentia fuerint: modus etiam operandi indifferens, ac liber non esse non poterit: at prædeterminatio illa independens à scientia mediæ, quamuis exposita sit, ut principia aliqua, vel requisita determinata ad vnum inferat, ne frustraretur, videlicet si forte contingeret, ut Deus non videret auxilia aliqua indifferentia habitura effectum, si ponantur: ac proinde etiam lædendæ libertati exposita sit, eique periculum creet: cæterum si occurrant Deo per scientiam mediæ mediæ indifferentia congrua tamen & efficaciam, non est, cur alia determinata ad vnum inferat eiusmodi prædeterminatio: atque ita non est, etiam cur libertatem tollat: aut enim eam tollit per mediæ, siue principia immediata, quæ ad obtinendum consensum infert; & hoc non ut iam iam vidimus: aut per seipsam; & hoc multo minus, cum ipsa non sit principium immediatum operationis, ad eamque essentialiter non requiritur; atque adeo eam non simpliciter, sed secundum quid antecedar.

41

Verum alij aliter de vtraque prædeterminatio sentiunt: eamque, quæ regulatur per scientiam mediæ, libertati consonare putant: secus vero eam, quæ independens est à scientia mediæ: mouentur autem hoc argumento: non potest voluntas vllatenus non operari data illa prædeterminatio independente à scientia mediæ: ergo operationis libertatem euerit. Antecedens probatur: quia nequit operari in sensu composito illius; aliàs eam cassam, ac frustraneam redderet: nec etiam in sensu diuiso illius: quia nequit eam diuidere, siue facere ne extiterit in Deo; eo videlicet quod sit independens à voluntate tam absolute, quam conditionatè operatur. Quod autem Deus solus eam diuidere possit, ac efficere, ne in se sit, ad libertatem nihil confert: nam potest etiam Deus diuidere prædeterminationem physicam, ac facere ne existat: & tamen hoc insufficiens est, ut operetur liberè voluntas prædeterminata: quippe quæ nec potest non operari in sensu composito prædeterminationis, nec etiam in sensu diuiso faciendo, ne prædeterminetur. Respondet, posse voluntatem diuidere, siue tollere prædeterminationem illam, sicut ad libere non operandum oportet: quod autem sit independens à voluntate, nihil refert: nam frigiditas v. g. non de-

Mm 4 pendet

pendet in suo esse ab igne, & tamen ab eo tolli, ac destrui potest: independentia frigiditatis ab igne comperta, ac manifesta est: nec enim frigiditas dependet ab igne ut calefaciente, ut constat, cum calefactio eam destruat, non vero causet: nec etiam dependet ab igne non calefaciente: tum quia non calefactio non pendet ab igne: ergo merito illius frigiditas ab igne non dependet: tum etiam quia non calefactio passi potius dependet, & causatur à frigiditate, quam è conuerso: eo quod generatio, & introductio vnius formæ, alterius expulsionem causet, & ab ea inuicem non causetur. Quocirca, ut exemplo hoc perspicue constat, ad hoc ut res aliqua ab alia tolli possit, satis est, ut eam simpliciter in suo esse non antecedit: non vero oportet, ut ab ea dependeat, eavè in suo esse posterior sit: cum ergo præfinitio efficax, de qua loquimur, non antecedit simpliciter arbitrium, ut absolute, vel conditionate operaturum, ab eo sanè diuidi, ac tolli poterit, quantumcumque ab illo non dependeat.

42

Hinc colliges, quid dicendum sit de scientia illa media reflexa, quæ paucis abhinc annis inter nostros circumferri cœpta est: quo autem discrimine à præfinitione illa efficaci nuper explicata, & iam pridem controuersa ipse videris. Porro scientia illa reflexa respondet his vocibus: *dabo Petro auxilium hoc, si habuero scientiam mediam efficaciam ipsius, non dationis, si videro illud esse inefficaciam.* Complexum autem huius scientiæ, & auxilij connectitur essentialiter cum consensu: & aliunde est independens à voluntate ut absolute, vel conditionate operatura, ut intuitu facile constabit: ergo libertatem consensus tollit, ac proinde etiam eam tollit scientia media directa, siue directiua, siue non directiua sit; cum semper cum eo complexo coniuncta sit. Consequentia videtur conspicua: quia nequit voluntas non operari in sensu composito eius complexi, nec etiam in sensu diuiso illius, cum enim sit independens à voluntate, ab ea diuidi, siue tolli nequit. Missis tamen aliorum solutionibus facillimè, ni fallor, responderi potest, scientiam illam mediam reflexam, atque adeo totum complexum, quantumuis sit independens à voluntate absolute, aut conditionate operatura; ab ea tamen tolli posse, sicut de præfinitione independente ab omni scientia media paulo supra diximus.

CAPUT VIII.

Nonnulla de libertate dubia expediuntur.

43

Dubitabis primo: an imperium efficax actui imperato libertatem adimat? Nonnulli Recentiores negatiuè respondent, eo argumento ducti, quod possit homo pro eodem signo naturæ esse simul indifferens proximè ad amandum, vel non amandum Deum, aut etiam ad imperandum, vel non imperandum efficaciter eius amorem: igitur amor Dei efficaciter imperatus tunc erit liber: siquidem coexistit potentia proximè indifferenti ad amandum, vel non amandum. Verum difficultas huius argumenti supra à nobis, exposita est. Ipsa autem sententia breuiter reiicitur: quia imperium efficax antecedit simpliciter actum imperatum, & cum eo connectitur: igitur eius libertatem demedio tollit. Consequentia perspicua est: tum quia omnis connexio, siue necessitas antecedens libertati obstat, ut per omnes causas necessarias discurrenti consta-

bit: tum etiam quia idcirco præcise Physica prædeterminatio libertatem destruit, quia actum prædeterminatum antecedit, & cum eo connectitur. Respondent tamen aduersarij, imperium efficax non obstante eius connexionione antecedenti esse tamen determinationem radicalem indifferentiæ proximæ, quæ pro priori naturæ ante illud dabatur ad actum imperatum eliciendum, vel non eliciendum, atque in hoc imperium à prædeterminatione Physica differre. Contra tamen: quia imperium nequit esse determinatio radicalis, siue exercitium indifferentiæ proximæ, quam destruit: at indifferentiæ proximam, siue libertatem in actu primo ad eliciendum, vel non eliciendum actum imperatum destruit: vel explicent aduersarij, cur eam more prædeterminationis physiciæ non destruat. Et quidem iuxta ipsorum principia intentio efficax tollit libertatem electionis medij vnicè necessarij: ergo imperium efficax libertatem actus imperati? Respondent discrimen esse, quod intentio efficax ad electionem requiritur, secus vero imperium ad actum, quem imperat. Contra tamen primo: quia conclusio posset elici absque præmissis, quamuis tunc conclusio non diceretur: ergo & electio absque intentione: ac proinde hæc ad illam non requiritur. Contra secundo: quia libertas eueri potest per aliquod principium non requisitum, ut in prædeterminatione physica constat. Demus voluntatem pro eodem signo naturæ esse proximè indifferenter ad amandum, vel non amandum Deum, aut ad precibus obtinendam, vel non obtinendam à Deo physicam prædeterminationem amoris: cur huiusmodi prædeterminatio non necessaria libertatem lædar; cur indifferentiæ proximæ determinatio radicalis esse nequeat?

44

Dubitabis secundo: an propositis duobus bonis inæqualibus, aut certè inæquali efficaciam possit voluntas minus bonum libere eligere? & an etiam propositis duobus bonis æqualibus, atque etiam æquali efficaciam possit libere alterutrum eligere? Aliqui Theologi, quos refert, & sequitur P. Vasquez tom. 1. in 1.2. disp. 43. negatiuè respondent: propositis enim duobus medijs inæqualibus censent, illud tantum amari posse, quod ut melius, ac magis vtile cognoscitur: neutrum vero amari posse, cum tanquam æqualia cognoscuntur. Cæterum propositis duobus finibus non referre quinam melior, aut deterior sit; sed qui nam viuidius, & efficacius voluntati ab intellectu proponatur, hunc enim solum amari posse. Oppositam tamen sententiam plerique Theologi merito tuerentur: Deus enim propositis sibi duobus medijs inæqualibus ad finem gloriæ suæ conducentibus potest eligere minus vtile, & bonum; duobusque medijs æqualibus sibi propositis alterutrum eligere: mundum enim hoc nostro meliorem potuit condere, & non condidit: mundumque etiam huic nostro æqualem non produxit, cum tamen potuerit: quidni ergo creatura rationalis hac etiam ratione media eligere possit? Quod autem responder P. Vasquez vbi supra, hominem ex indigentia, Deum vero absque illa eligere, nullius momenti est: tum quia homo multo magis sine ipso, quam medijs indiget; & tamen finem deteriolem sequi potest. Tum etiam quia licet Deus medio absolute non indigeat, eo tamen ad consequendum finem indiget: & tamen hoc non obstante minus bonum eligere potest. Impugnatur secundo eadem sententia: quia bonum minus bonum, ac vtile, est tamen absolute bonum, & vtile, ut per se constat, & optime docet Augustinus

gustinus lib. de natura boni, cap. 14. cur ergo voluntas illud eligere nequeat?

45 Impugnatur tertio prædicta sententia: quia libertatem electionis, & intentionis de medio eximit: id quod de intentione probatur, & exinde de electione manifestum erit: aut igitur bonum turpe, ac bonum honestum æque efficaciter representantur; & sic neutrum poterit amari; atque adeo intentio alterutrius non erit libera quoad speciem, cum hæc libertas sit ad amorem vnius obiecti, & amorem alterius impossibilis: nec etiam tunc erit libera quoad exercitium; quia hæc libertas est ad amorem alicuius obiecti, cuiusve carentiam: aut hæc ratione, & æqualitate duo illa bona non representantur, sed potius inæqualiter; & sic non poterit amari bonum turpe, si inefficacius cognoscatur: si verò efficacius, non poterit non amari: eius igitur amor nequibit esse liber quoad speciem, aut exercitium: cum utraque libertas postulet amorē illum posse elici, & posse non elici: iam ergo nunquā peccare poterimus. Dices manere libertatē, quia potest voluntas applicare intellectum ad querendam novā motuā, quibus bonum minus efficaciter cognitum, maiori efficacia proponatur. Contra tamen: quia applicatio illa intellectus per voluntatē faciendā vel efficacius proponitur, quā non applicatio, vel minus, aut æque efficaciter: & sic idem argumentum redibit: vel infinitæ applicationes admittendæ erunt, ut intuenti constabit: & quidem sicut voluntati efficacius proponitur vnus finis, quā alius: ea tamen potest libere se auertere ab ea cognitione, & in alium finem efficacius cognoscendum intendere: quidni & finem sibi minus efficaciter propositum amare? Argumenta aduersariorum facilia sunt, & videri possunt apud Hurtadum in præsentia.

46 Dubitabis tertio: an possit voluntas necessitari stante iudicio indifferenti? Banez, Zumel, Alvarez, & alij Thomistæ negatiuè respondent, ut hac ratione prædeterminationi physicæ consulant, eamque cum iudicio indifferenti proculdubio composibilem, cum libertate etiam componant. Verum faciliè impugnari possunt: nam primò esto præluceat voluntati cognitio boni, & mali, potest Deus suspendere concursum suum ad odium mali, eumque duntaxat exhibere ad amandum, vel non amandum bonum: hoc vel ipsi aduersarij in concessio habent. At iudicium esset tunc indifferens quoad speciem, amor tamen non indifferens, sed necessarius: ergo etiam stante iudicio indifferenti quoad exercitium, quoad illud tamen poterit voluntas necessitari. Deinde potuit Christo imponi præceptum rei alicuius indifferents: & quæ aliàs ab eo fieri, aut non fieri sine peccato posset: at Christus ad eius rei executionem vi præcepti necessitaretur; aliunde vero haberet iudicium indifferens, & cognosceret motiua omnia, ob quæ res illa fieri, aut omitti posset. Rursus non obstante iudicio omnino indifferenti potest voluntas magis inclinari vi habitus ad vnā contradictionis partem, quā ad aliam: quidni ergo & omnino determinari vi alicuius principij necessarii. Tandem concupiscentia minuit libertatem, & tamen representationem non semper minuit, sed potius eandem relinquit, quæ sine concupiscentia daretur: ergo, &c.

47 Dubitabis quarto: an potentia suapte natura necessaria in operando ad liberè operandum diuinitus eleuari possit? Respondeo affirmatiuè: quia multo perfectior est libertas à peccato, quā libertas à necessitate: at creatura aliqua à creatore eleuari potest ad libertatem à peccato, supra quam

eius natura postulat, ut in humanitate Christi etiam in abstracto sumpta conspicuum est. Rursus nulla natura creata, aut creatilis est, cui non sit naturalis seruitus respectu creatoris: & tamen potest Deus naturam creatam eleuare ad libertatem ab hac seruitute, si eam sibi hypostaticè vnire velit; ut modo in humanitate Christi contingit, quæ vti filiationem naturalem, sic etiam carentiam seruitutis habet: igitur similiter poterit Deus eleuare naturam, siue potentiam creatam à necessitate, quæ ei connaturalis, & debita sit. Oppositum tamen tuentur P. Suarez, & P. Salas: quorum tamen argumenta nequaquam vrgent: cum enim obiciunt, libertatem esse ab intrinseco, & in eo differre à necessitate, quod hæc ab extrinseco proficisci possit: sensus tantum est, libertatem consistere in actione immanenti, & vitali; non verò eam ab omni eleuatione sedulam esse, ut in libertate ad actus supernaturales patet.

48 Dubitabis quinto: an sit possibilis potentia intellectiua formaliter libera? Respondeo negatiuè cum P. Suarez 1. Metaphys. disp. 19. sect. 5. à n. 14. ad 22. quia si esset possibilis intellectio libera in actu secundo, ut ex potentia intellectiua libera in actu primo sequitur: ea haberet, & non haberet bonitatem formalem: quæ repugnantia sunt. Prior sequela pars probatur: quia posset Deus intellectui illi possibili liberam intellectionem alicuius obiecti præcipere: intellectio igitur libere elicitā in eo euentu esset moraliter bona: nam bonitas moralis aut primario sita est in libera, & positiua conformitate cum lege Dei, aut saltem cum ea velut indiuidua proprietate essentialiter coniuncta est. Posterior sequela pars probatur: nam omnis bonitas formalis habet pro obiecto formali *quod*, siue ratione formali *sub qua* bonitatem obiectiuam, à qua tanquam regula, & mensura suæ moralitatis desumitur: at intellectio illa nequit habere pro obiecto formali *quod*, siue ratione formali *sub qua* bonitatem illam obiectiuam, cum bonitas voluntatis non intellectus obiectum sit: ergo intellectio illa bonitate formali prædita esse nequit: haud aliter ac è contrario nulla volitio veritatem formalem habere potest. Vide alias rationes apud P. Suarez vbi supra.

49 Dubitabis sexto: an actio sit libera quò exercetur instanti? Respondeo affirmatiuè cum plerique Philosophis: actio enim quò non existit instanti, cum non sit, libera esse nequit: ergo solum libera est, quò existit instanti. Rursus actio, quò exercetur instanti, dependet à potentia proximè indifferenti ad vtrumlibet: hæc autem dependentia libertas est. Argumenta Nominalium oppositum opinantium frivola sunt, eorumque solutio videri potest apud Hurtadum in præsentia. Dubitabis septimo, an terminus actionis sit propriè, & formaliter liber? Aliqui negant, & satis probabiliter quidem: nam actio antecedit terminum, & posita illa non potest non poni terminus. Oppositum tamen probabile est: quia sicut potentia libera in actu primo est ea, quæ positis omnibus requisitis ad operandum, potest operari, vel non operari: ita similiter actus liber in actu primo est, qui positis omnibus requisitis ad operandum, potest poni, vel non poni; esse, vel non esse: at terminus actionis positis omnibus requisitis ad operandum potest poni, vel non poni: eo nimirum, quod actio ipsa cū termino essentialiter connexa inter requisita ad operandum connumerari non debeat, cum sit ipsamet operatio. Quod autem terminus denominetur liber per actionem à se distinctam parū refert: forma enim denominatur vnita per vnionem à se distinctam;

distinctam, & tamen propriè, ac formaliter vnitur.

Dubitabis octauo, an sit possibilis pura omni o libertas, siue libertatis, & indifferentiæ proximæ exercitium absque vilo actu positivo amoris, aut odij? Negant cum Magistro in 2. distinct. 35. Albertus, Roman. Gabriel. Henric. & Alexand. quibus P. Vasquez 1. 2. disp. 93. cap. 2. num. 6. circa initium, alique plures nostrorum ad stipulantur. Affirmant vero cum Ochamo in 3. dist. 35. quæst. 10. plerique eius sectatores: item Durandus, Marsil. Richard. Adrian. & Almain. necnon ex nostris Suarez, Valentia, Hurtadus, Ruiz, Salas, Ripalda, Anniaga, & Quiedo. Ipse tamen distinctione vtendum arbitror: in ea enim sententia sum, vt existimem, omissionem puram liberam voluntati creatæ impossibilem, voluntati tamen diuinæ possibilem esse: siquidem implicat potentia mere passiuæ, siue receptiuæ, quæ libera sit, vt probat P. Suarez tom. 1. de grat. prolegem 1. c. 2. Authoritate Scripturæ, Patrum, Conciliorum, ac Scholasticorum: satis sit Concilium Tridentin. sess. 6. can. 4. anathemate eum ferire, qui dixerit, liberum arbitrium merè passiuè se habere, cum ad Deum conuertitur: at idcirco causa merè passiuæ libertatem exercere nequit, quia nihil propriè agit: ergo etiam per puram omissionem, quæ nihil propriè agitur libertas exerceri nequit. Hæc autem ratio non militat in Deo, qui absque vlla actione propriè sumpta libertatem haud dubiè exercet: actus enim liberis, aut à se omnino indistinctos, aut, si qua ratione distinguuntur, præcisè negatiuos, quomodo verè, ac propriè agere, vel efficere potest? nulla enim vera actio non ad aliquid posituum, nulla non ad aliquid à principio efficiente distinctum terminatur. Sed de hoc alibi latius.

Postremo dubitabis, qua ratione diuina libertas explicanda sit, & concilianda cum immutabilitate Dei, ac diuinorum actuum. Difficultas hæc tanta est, ac tam operosa, vt qua breuitate ad superiores dubitationes respondimus, non possit ei satisfieri. Quocirca eam tribus capitibus sequentibus discutimus: & quamquam non omitemus aliorum sententias, plus tamen in nostra immorabimur: cum enim singularis, & noua sit, atque à me primum adinuenta, longiori sanè eger explanatione, ac maiori examine.

C A P V T IX.

Aliorum de diuina libertatis mysterio sententia summam relata, atque reiecta.

Explicata ex professo libertate creatæ voluntatis, nec abs re, nec ab operæ pretio erit non nihil etiam in præsentī differere de libertate increatæ voluntatis: tum quia posterior hæc libertas prioris est exemplar, atque idea, adeoque ad eius notitiam apprime necessaria: tum etiam quia ad Metaphysicum spectat, quiddam assequi potest ratio naturalis de causa prima, & eius perfectionibus: suprā captum autem nostrum, rationemve nobis naturaliter inditam non est, quod Deo conueniat perfectio libertatis. Quo autem pacto ea cohæreat cum immutabilitate Dei, summaque prædicatorum eius omniū stabilitate, & indefectibilitate, res adeo obscura ad intelligendum, vt mirum non sit in ea enodanda tot esse scholasticorum sententias, quot fere capita. Omnes tamen ad duas reuocantur.

Quarum prima tueretur, effectum formalem volentis creare mundum v.g. addere in Deo supra amorem

eius necessarium, quo seipsum complectitur, prædicatum aliquod posituum, quod ab aliquibus mera denominatio, ab aliis duntaxat terminatio, à nonnullis etiam perfectio extensiuæ appellatur: Deum ergo potuisse ab æterno non velle condere mundum, sicut ad eius libertatem oportet, non aliud esse, quam aliquid intrinsecum, & secum identificatum ei deesse posse, quoad denominationem, non quoad entitatem: aut quoad terminationem, non quoad entitatem perfectionemue: aut quoad perfectionem extensiuam, non intensiuam: nullum autem mutationis, aut vicissitudinis periculum in eo esse, quod Deo aliquo ex prædictis modis possit quidpiam deperire. Altera sententia Cardinalis, & ad quam alia plures renocantur, est, effectum formalem volentis moliri mundum præter volitionem Dei necessariam insuper includere existentiam ipsam mundi: quare si Deus, pro eo ac libere posset, non veller mundum creare, tum ei defuturum, non prædicatum aliquod sibi intrinsecum, & proprium, sed solum extrinsecum, nempe mundi, quem condidisset, existentiam: quo fit, haud magis eum ratione suæ libertatis, & indifferentiæ immutari posse quam ipse, & creatura mutantur ob relationes prædicamentales similitudinis v.g. aut dominij eis passim accedentes & recedentes de nouo ob accessum recessumque solius termini extrinseci.

Qui priorem sententiam sequuntur rem magnam præstitisse sibi videntur, & difficultati penitus satisfecisse, explicando, qua ratione fieri possit, vt prædicatum, quod actus, liber Dei superaddit, sit formalissimè, vel vt alij loquuntur virtualiter intrinsecè denominatio, aut terminatio, non vero entitas simpliciter talis, aut perfectio saltem intensiuæ. Sed nisi valde fallor, difficultatem potissimam non tantum solvunt, sed eam omnino fugiunt, eaque valere iussa ad aliam se conuertunt, non propriam huius materiæ, sed ei cum aliis multis, tum Philosophicis, tum etiam Theologicis communem. Quid magis familiare in Philosophia quam de modis omnibus, ac relationibus creatis disquirere, an dicant perfectionem aut entitatem? quid magis vñtatum in Theologia, quam de relationibus increatis, personali talibusve diuinis controuertere, an addant essentiæ perfectionem aliquam. Quod ergo torquet ingenia in præsentī non est, an prædicatum, in quo stat exercitium diuinæ libertatis, possit præscindere in suo conceptu à perfectione, aut entitate? (quod enim possit haud adeo arduum, atque difficile explicatu est, quamquam ne id quidem plures aduersarij satis explicent) sed an possit prædicatum Dei liberum, eique identificatum, qualecunque sit, Deo abesse, absque eo quod sit positum imperfectum, & mutabile, atque caducum, more actuum nostrorum: Quod namque imperfectio in illud, aut ratione illius in Deum cadere non possit, euidenter est, & nemini non in confesso: qui autem non sequatur, illud esse imperfectum, hic Rhodus, hic saltus.

Sic igitur aduersus priorem sententiam & quot quot ex ea disseminantur opinionibus argumentor. Portuit ab æterno simpliciter Deo deesse effectus formalis volentis creare mundum: potuit enim simpliciter non velle mundum creare, aliàs verò ac simpliciter dicta libertate cariturus: prædicatum ergo, quo completur in Deo talis effectus, aut quasi effectus formalis, etsi gratis concedatur non esse formaliter perfectio, & entitas, potuit tamen simpliciter in Deo non esse, quid ni ergo sit positum imperfectum: Cum nulla maior imperfectio possit excogitari, quam simpliciter non esse, seu simpliciter esse nihil. Porro quod

quod dicunt aliqui aduersariorum, prædicatum illud tantum posse secundum quid, & non simpliciter deesse, nimirum quia manet necessarium quoad totam suam entitatem, & perfectionem; id certe nihil dictu est: ita enim non potest Deo simpliciter deesse hoc quod est velle creare mundum, cum nihil deesse possit simpliciter, nisi simpliciter deficiente aliquo prædicato quo constituitur. Deinde: si necessaria ratione manet simpliciter terminatio illa, seu denominatio superaddita, quia non potest non manere aliud prædicatum, cum quo identificatur, cur non è contrario deficere possit in Deo simpliciter entitas, ac perfectio essentialis? Siquidem deficere potest in illo prædicatum aliquod liberum, cum quo omnia necessaria identificantur: quod autem tale prædicatum liberum haud sit perfectio non refert: an non enim deficeret simpliciter substantia deficiente per impossibile sola perfectitate, vt hæc entitati subremanenti nullam adderet perfectionem, aut entitatem, vt profecto non addere plures autumant.

56 Qui autem posteriorem sententiam sequuntur, tamen multis eam modis explicant, nullo tamen satisfaciunt. Cur enim Deus causat existentiam mundi, nisi quia eam efficaciter vult atque decernit: ita igitur eam velle, ac decernere antecedit illam ordine naturæ ac proinde per eam non constituitur. Rursus: Deus non incipit in tempore velle mundum creare sed potius ab æterno voluit, quidquid in tempore peregit, aut peracturus est: at mundus nisi in tempore non existit, vt est de fide: haud ergo per existentiam mundi, quippe temporalem, potest Deus denominari volens eum condere. Quid plura? Si Deus nihil esset absolute operatus ad extra, si mundus hic non esset ab eo creatus, posset tamen plura conditionate decernere: quor v. g. homines produceret, aut quor Angelos, si mundum iis constantem moliri statueret: hæc autem decreta libera conditionata ex parte obiecti, & ex parte subiecti absoluta, quæ tunc esset Deus habiturus, & qualia modo habet non pauca, quid possunt addere supra prædicata eius necessaria.

C A P V T X.

Nostra de mysterio diuinae libertatis sententia.

57 **M**ISSIS igitur scholasticorum sententiis hætenus excogitatis de libertate diuina, cenſeo Deum posse non velle creare mundum adeoque in eius creatione fuisse, & esse liberum, non quod ei deesse possit prædicatum aliquod positium secum omnino identificatum, non etiam quod deficere possit prædicatum positium ab eo creatum, & ad extra vt aiunt, situm; sed quia catere potest prædicato aliquo omnino negatiuo à se, & ab omni creatura sua realiter distincto. Quod autem mysterium diuinae libertatis primus explicem per negationes, & carentias quasdam, iisque in præſenti materia nullo duce, nullo vtor authore, mihi vitio verci non debet: satius enim est, in difficillima re noui aliqui audere, quam difficultati succumbere: satius ad tam altam caliginem quoquo modo dispellendam qualequale lucis subsidium adferre, quam semper in iisdem tenebris hære. Dicam modò quod sufficit vt intelligar, plura fauente Numine in Theologia daturus.

58 Suppono autem à principio, id in quo omnes scholastici conueniunt, actum scilicet necessarium

diuinae voluntatis eius esse perfectionis, vt indiuisibiliter sit volitio omnium velibilibum, & nolitio nolibilium omnium: amor, & odium eorum omnium, quos Deus amore, odione habet, aut potest habere: necnon etiam, quantum est ex se, affectus efficax, & inefficax, absolutusque, & conditionatus: decretum item intentionum, & executionum, desideriumque, & gaudium, ac stricta complacentia, si hi volendi modi possunt in Deo locum habere. Suppono secundò, ob id, prædictum actum, vnum quidem formaliter, at eminenter plures, immo & infinitos, haud tamen præstare omnem suum effectum formalem, quia ei deest requisitum aliquod, quod quale sit, inferius explicabitur. Sic intellectio diuina, quæ Patrem facundat ad productionem filij, est in filio: & tamen eum non denominat secundum ad generationem alterius filij: defectu scilicet alterius requisiti essentialis. Similiterque, ac simili de causa, volitio diuina, per quam procedit Spiritus sanctus, facundat Patrem, & filium ad spirandam tertiam personam, quin huic talem spirandi facunditatem impertiat. Requisitum autem, quod intellectio diuina deest ad facundandam secundam personam, & volitioni ad facundandam tertiam, est quod vtriusque operationis intentionalis quasi virtus, ac facunditas non fuerit pro priori exhausta in alicuius termini infiniti productione: cum igitur filius intellectioem, & Spiritus sanctus volitionem ita exhaustas inueniant, quid mirum, si vtrique desit requisitum quoddam essentialiale ad generandum, & spirandum.

59 Suppono 3. præter carentias in scholis hucusque tritas, alias admittendas esse, conditionatas videlicet, aut virtuales, v. g. hoc ipso quod Deus non sit nolens creare mundum hunc, in eo datur eius nolitionis carentia quædam: quæ quidem dici potest conditionata, quia ita absolute, & verè non destruit diuinam nolitionem, vt eam destrueret, si esset realiter à Deo distincta, consequenterque destructionis capax. Sic productio virtualis qua essentia diuina relationem P. ternitatis cenſetur producere est eius productio realis conditionata, quia nimirum, si distingueretur realiter Paternitas, eam hoc ipso realiter, & verè produceret. Eadem etiam carentia Diuina nolitionis dici potest virtualis, siue æquivalens, quoniam perinde impedit in Deo effectum formalem nolentis, ac si nolitionem realiter destrueret, & ad non esse traduceret. Fac de potentia absoluta peccatum componi cum gratia, siue hanc ad præſentiam illius, à Deo non destrui, sanè peccatum eo in euentu realiter non destrueret gratiam, sed tantum virtualiter, siue æquivalenter: talem igitur in modum carentia, qua de loquimur, Deo nolente mundum producere nolitionem destruit.

60 Ac certè, sicut esset imperfectio in Paternitate realiter absolute ab essentia produci, & causari, ad modum quo nostræ proprietates à nobis realiter producuntur, & tamen nec vestigium imperfectionis est in eo quod Paternitas ab essentia realiter conditionatè, seu virtualiter producat: ita similiter quæ est imperfectio in eo quod daretur realis, & absoluta carentia impeditione diuinae nolitionis, non est, sed potius perfectio maxima in eo quod detur carentia virtualis, aut realis conditionata nolitionis in Deo. Nec verò absurdum, aut commentitium vlli videri debet, quod dicimus, dari in Deo carentias, quæ nihil realiter absolute aut tollant, aut tollere possint. Quamuis enim talis genij sint, poterunt nihilominus esse prædicata merè negatiua: tum à priori quia eorum earum esse, est impedire effectum formalem actus diuini, quo potest velle, aut nolle: tum quia

quia, distinctio realis Petri v. g. à Paulo iuxta complures est prædicatum merè negatiuum, siue negatio respectiva realiter distincta ab entitate extremorum, quæ distinguit: & tamen nullius rei existentiam tollit, sed tantum impedit nè extremorum suorum alterutrum possit de altero verè prædicari: tum etiam, quia existentia aliqua verè, imò & summè talis, nempe diuina, nullam tollit carentiam: si quam enim, maxime carentiam Dei: at non hanc: carentia enim Dei nulla datur, aut est possibilis, quæ per eam tolli possit: è conuerso igitur potest optimè intelligi carentia aliqua, & prædicatum merè negatiuum in Deo vi cuius nihil realiter, & verè destruat: tum denique, quia, etsi in his carentiis; quas non tam contrà, quam præter doctrinam receptam scholasticorum adstruo, sua sit difficultas, ea tamen deuoranda est in gratiam difficillimi mysterij liberorum actuum Dei, atque ad eius maiorem explicationem, & lucem.

61 His constitutis Deus vult creare mundum, principaliter quidem per amorem suum necessarium: at etiam minus principaliter & ex parte per carentiam conditionatam, siue virtualem nolitionis oppositæ, ac ratione distinctæ. Quod si Deus, pro eo ac posset, nollet mundum creare, certè per eundem amorem suum necessarium denominaretur ita nolens, necnon per carentiam conditionatam, seu virtualem, quæ in ea hypothesi daretur diuinæ volitionis. Atque hæc posterior carentia est requisitum illud essentialiale, defectu cuius amor necessarius modò non denominat Deum nolentem creare mundum: eademque reatione idem amor non tribuit Deo alias innumeras denominationes defectu alicuius carentiæ, ac requisiti negatiui; vt supra in supposit. 2. præmonuimus. Quidquid ergo est positiui voluntarij, seu spontanei in denominatione volentis mundum moliri, aliæque quauis earum, quas Deus habet, id omne prouenit ab eius amore necessario: quidquid vero indifferentiæ, vt possit velle; aut non velle mundum creare, proficiscitur à carentiis superius expositis: posse enim cum velle, est posse habere carentiam nolitionis, qualem explicuimus: posseque nolle est posse habere similem carentiam volitionis: & si potest purè omittere, vt forte probabilius, posse cum nec velle nec nolle; est posse habere carentiam quandam virtualem, aut conditionatam tam volitionis, quam nolitionis. Ego certè in hoc modo exercendi libertatem per prædicata negatiua, quem in Deo mediator, haud maiorem video difficultatem, quam in eo quod docent innumeri Theologi, voluntatem creatam exercere libertatem, & indifferentiam ad vtrumlibet per omissionem puram: quod etiam aliqui ad voluntatem diuinam satis verisimiliter extendunt.

62 Porro quod dixi; denominationem volentis condere mundum includere in Deo, præter amorem necessarium, carentiam qualem nolitionis oppositæ, iure explodi non potest, & si contrarium in nobis accedat, velleque nostrum non constituatur per carentiam nolitionis, sed potius eam antecedit, & inferat. Ratio est, quia diuina libertas est infinitè perfectior, ac sublimior, quam nostra: hinc est, vt Deus eodem quasi conatu, & pro eodem signo velit creationem mundi, eamque non nolit: cur autem in eo velle, & non nolle sint pro eodem signo, nisi quia carentia nolitionis constituit intrinsecè eius velle? Nostra autem voluntas, cuius libertas est inferioris ordinis, quasi pederentim procedit; priusque vult, & pro

posteriori signo, se determinat ad carentiam nolitionis oppositæ: vnde per eam in ratione volentis nec potest, nec debet constitui. Ex dicendis etiam infra constabit, non paucas denominationes extra Deum constitui ex obliquo, & minus principaliter carentia aliqua, seu prædicato negatiuo: ad talium ergo denominationum instar exigenda est in Deo denominatio libere volentis.

63 Ex his, quæ disseruimus, valde probabiliter expedire nos possumus à difficultatibus, quæ vix, aut ne vix quidem enodari possunt in aliorum sententiis supra memoratis, atque ad duo summa capita reuocatis. Quod in priori summam, insuperabilemque facessit difficultatem est, quomodo Deus possit simpliciter non velle, quin hoc ipso possit ei simpliciter deesse prædicatum aliquod positiuum secum identificatum; quod tamen est ingens imperfectio. Qui autem docemus, denominationem volentis non omnino, atque ex toto esse Deo intrinsecam, & identificatam, sed constitui ex parte per carentiam nolitionis oppositæ, facile respondere possumus, ob id simpliciter deesse posse Deo id denominationis, quia simpliciter, ac verè deesse ei potest carentia, seu prædicatum negatiuum denominationem illam constituens.

64 Sic relatio æqualitatis inter duas quantitates bicubitas altera crescente, & in tricubitam euadente simpliciter deficit, non quia deficit aliquod constitutum positiuum eius æqualitatis, sed quoniam deficit sola carentia eius longitudinis, qua quantitas tricubita bicubitam excedit. Sic, si verbum assumeret humanitatem alicuius puri hominis existentis in gratia, & eius vi habentis dignitatem, & denominationem filij adoptiui, profectò simpliciter amitteret homo ille eam denominationem, nec deinceps esset filius adoptiuus, videlicet quia per filiationem naturalem Dei, ad quam eueheretur, reuera tolleretur, non aliud quam talis tantæque filiationis carentia, per quam denominatio filij adoptiui constituebatur. Rursus, vt exemplo superius posito hic etiam vtar, homo in quo miraculosè concurrerent gratia habitualis, & peccatum mortale, hoc ipso amitteret simpliciter denominationem iusti, ac sancti, quam antea habebat; amissione videlicet non gratiæ, aut alicuius perfectionis positiuæ, sed solius carentiæ cuiusdam, nempe immunitatis à peccato constituentis simul cum gratia denominationem grati.

65 Non me latet, in nobis defectum prædicati negatiui sufficere ad mutationem: hoc autem ideo contingit, quia talis defectus est coniunctus cum accessu, aduentuque alicuius prædicati positiui intrinseci, v. g. cæcitas miraculosè curata, ac depulsa eum, qui cæcus erat, verè immutat: at quid mirum, cum depelli cæcitatem, seu carentiam visus, sit vim positiuam, & intrinsecam videndi de nouo aduenire? cæterum in Deo non deficit vna carentia per aliquid positiuum, sed per aliam carentiam oppositam: ad modum quo si quis, in instanti A. omittebat necessario, & non liberè amorem Dei, inciperet in instanti B. habere eiusdem amoris omissionem essentialiter liberam, hoc ipso quidem omisso necessaria tolleretur, non per aliquid positiuum, sed per quid merè negatiuum, negationem videlicet liberam superuenientem: proinde non est, quod defectus carentiæ vllius virtualis, seu conditionatæ Deum possit mutare: Et quidem Deus non potest mutari, quoties nihil nisi omnino extrinsecum ei aduenit, aut recedit de nouo: carentia autem, siue quam

quam sibi adsciscit, siue quam libere abiicit, ipsi est extrinseca: neutra enim ei vnitur; carentia siquidem, cum nihil sit, incapax prorsus est vnionis verè talis cum aliquo extremo: neutra etiam earum carentiarum realiter, aut verè tollit aliquid posituum Deo intrinsecum, à cuius intimitate dici possint intrinsecæ: nullo ergo ex titulo respectu Dei dici possunt intrinsecæ.

Quæ autem difficultates premunt, ac penè opprimunt posteriorem sententiam, aut potius plurimum sententiarum feracissimam sylvam, hæ nobis non obstant. Quid enim verat, carentias, quas meditati sumus, ordine naturæ priores esse quavis entitate positua à Deo creatæ, necnon quacumque priores esse duratione reali etiam æterna? vi ergo talium carentiarum potest Deus denominari volens creare mundum, cum pro priori naturæ ad existentiam mundi, tum etiam ab æterno: quorum tamen neutrum posset sustineri, si, quemadmodum docent aduersarij, talis denominatio constitueretur per mundum ipsum in tempore productum. Iuxta eundem etiam dicendi, ac sentiendi modum multo minus explicari possunt decreta Dei purè conditionata: quæ tamen perspicuè, commodeque à nobis per carentias explicantur, vt intuitu constabit.

C A P V T X I.

Iudicium cuiusdam recentioris de nostra sententia.

66 **P**ostquam doctrina capitis præcedentis à nobis excogitata est, plenoque multorum consensu probata, non defuit, qui manuscriptis nostris attentè perlectis nostram sententiam sequeretur quidem, sed tamen adhibita quadam moderatione, atque ita vt aliquid in ea innouandum censeret. Igitur in commentariis, quos in 1. part. D. Thomæ prælo, ac luce donare cogitat, concedit nobiscum ingenue, Deum velle, mundum v. g. creare per exercitium libertatis mere negatiuum, etsi nollet mundum condere, fore vt non aliud eius amoris necessario pro posteriori signo rationis superueniret de nouo quam mera carentia, aut negatio quadam. Caterum existimat carentiam, qua Deus constituitur volens, esse non nolitionis diuinæ, & increatæ, sed possibilitatis ad nolendum per nolitionem creatam, & à se realiter distinctam: cum enim, inquit neutiquam sit possibile, vt Deus nolit per nolitionem accidentalem; & creatam: sanè huius possibilitatis datur in eo carentia necessaria; at non ea sola, sed alia insuper carentia libera: alterutra autem dici potest, & debet carentia non tantum possibilitatis nolendi per actum creatum, sed etiam ipsius nolitionis creatæ: idem enim est, omninoque æquipollet non posse Deum nolle per aliquid creatum, ac per illud actum non nolle: & quamuis non valeat consequentia à potentia ad actum affirmatiuè, at valet negatiuè. Deus ergo denominatur volens per præfatam carentiam liberam nolitionis, quia scilicet eius vi specialiter auertitur ab affectu opposito, eadem ratione proportionali, ac per consimilem volitionis carentiam noliturus si nollet. Hæc ille.

67 Quibus non parum in mea confirmor sententia. Quod enim Recentior hic docet, Deum velle nullo alio prædicato superaddito, nisi quadam carentia;

R. P. Ricard; Lyncei, Philosoph. Tom. III.

nolleque posse, præcisè quia potest habere oppositam carentiam: aut, quod eodem redit, extrema diuinæ libertatis esse meras negationes: totum, inquam, hoc quid nisi nostra doctrina, tum quoad rem ipsam, tum etiam quoad modum loquendi? Quod tamen docet, Deum velle non per carentiam virtualem, & conditionatam suamet nolitionis, sed per realem, & absolutam carentiam nolitionis creatæ, negationemvè, vi cuius dicitur eius voluntas non nolle, nec posse per actum creatum, hoc mihi probari non potest.

Primò enim carentia libera, & contingens volitionis creatæ in Deo videtur repugnare clarissime contradictionem inuoluerè. Eius siquidem, quod supponitur necessario esse, nequit dari noua actio libera, & contingens: alias fingi posset, Verbum vt expressiuum essentia; & Personalitatum immanner à Patre produci, non tantum per actionem necessariam, sed etiam per aliam omninò liberam, & contingentem. Imò etiam sequeretur, Verbum posse Patrem, quem necessario existentem supponit, quadam tamen actione libera, & contingentem producere; & quod aiunt scripturæ, Patrem esse ingnitum, intelligendum esse de facto, non de possibili; aut de actione necessaria, non vero de libera; siue de contingentem. Quæ tamen quis non videat esse absurdissima, manifestèque periculosa in fide? Vt igitur eius, quod necessario existit, non est possibile productio libera, ita similiter eius, quod necessario non existit, summeque impossibile est, haudquaquam poterit dari noua carentia libera: at Deo summa quadam necessitate conuenit, quod non possit velle, aut nolle per affectum creatum: neutrius ergo denominationis poterit in illo libera carentia reperiri.

Secundò vt Verbum diuinum sit verissimè filius Dei naturalis, sufficit in eo carentia necessaria, quam habet denominationis filij adoptiui, nec vltèrius requiritur, vt detur in eo eiusdem denominationis carentia contingens, qualis in humanitate Christi inuenitur: si ergo vt Deus velit, conferre quidpiam potest, hoc quod est illum carere denominatione nolentis per actum creatum, sufficere sanè, quod eius denominationis habeat carentiam necessariam: at non sufficit, vel iuxta ipsos aduersarios; & quidem iure optimo, aliàs Deus esset simul volens, & nolens creare mundum cum de facto simul habeat carentiam necessariam volendi, nolendique per affectum creatum, ac realiter distinctum.

Tertiò: Deus non tantum non est nolens per nolitionem creatam, sed etiam dicitur non nolens per nolitionem suam increatam: nolitionis ergo increatæ aliqua est in eo admittenda carentia; ea scilicet quam nos supra explicuimus, eoque magis admittenda, quo difficultates aduersus eam omnes à nobis in transcurso reiectæ sunt superius: frustra igitur à nostris carentiis, quasi non dentur, nec possint dari, ad alias, easque intellectu perquam difficiles, appellat quem impugnamus.

Quartò denique: vel de ipsiusmet sententia, quemadmodum aër v. g. est tenebrosus per carentiam lucis, ita Deus est volens per carentiam nolitionis: sicut igitur aër dicitur absolutè, & verè tenebrosus per carentiam lucis sibi possibilis, eius scilicet quam oculis cernimus, stultumque dictu esset, eum denominari tenebrosum per carentiam lucis intellectualis, & incorporeæ, cuius est omnino incapax: ita similiter haud video, qua probabilitate dici possit, Deum constitui volentem per carentiam

N n non

non propria, & increata nolitionis, sed duntaxat nolitionis creatæ, cuius quam sit incapax, nemo sit qui non capiat. Ex quibus patet, Recentiore hunc, cuius placitum retuli, in eo, in quo à nobis dissentire conatur, minus verè sentire: ingenuitatem tamen eius laudo, qua nobis in puncto principali subscribit.

TRACTATUS X.

De Obiectis actuum intellectus, & voluntatis.

CAPVT I.

Obiectum in communi, & eius cum actu comparatio.

OBIECTVM VT sic est, quod alicui potentia mediis suis actibus obicitur, seu poponitur; qua ratio ne color visus, sonus auditus facultatis, dolor facultas, bonum voluntatis, verum intellectus, obiecta dici assolent. Porro autem potentia, seu facultas alia est vitalis, quales sunt enumeratæ, aliaque similes: alia est non vitalis, cuiusmodi est omnis potentia transiens, & operatiua ad extra, vt aiunt, aut etiam ea, quæ suas proprietates ad intrâ, & immanenter producit, veluti ignis sui, aut ligni sibi appliciti calefactiuus: illud, in quod prior potentia suos actus dirigit non solum à nostris scholasticis; sed etiam à priscis illis latinis obiectum propriè appellari consuevit; sic Cicero 4. Acad. *Visum obiectum est à Deo dormienti.* sic idem 1. de finibus *victi, & debilitati obiecta specie voluptatis tradunt se libidinibus constringendos.* Illud, in quod posterior potentia mediis suis actibus fertur, obiectum etiam nuncupatur à multis scholasticis: quo pacto creaturæ possibiles dicuntur obiectum diuinæ omnipotentia à P. Mol. 1. p. q. 25. art. 3. P. Vasquez t. 1. in 1. p. disp. 104. cap. 4 n. 1. P. Hurr. disp. 1. log. S. 1. & aliis passim. Quidni vero? quod enim relatio Dei ad creaturas physica sit, in contrarium non obstat: namque situs, & indistantia relatio physica etiam est; & tamen obiectum constituit, & denominat, usque loquendi modus etiam extrâ scholam philosophorum vsitatus est. Ità Virgil. 3. Georg. de flagrantibus amore, atque in furias, ignemque ruentibus equis loquens, eos ait.

Non scopuli, rupeque caua, atque obiecta retardant:
Flumina, correptos vnda torquentia montes.

Obiectum nonnunquam materia, circa quam, nonnunquam subiectum vsurpatur, quia sicut actio causæ physicae circa materiam, passum, siue subiectum suum versatur, ad illudque physicè, & intrinsecè informandum destinatur, ità etiam actio intentionalis circa suum obiectum versatur, & ad illud extrinsecè, & intentionaliter informandum ordinatur. Quo pacto Auerroës 3. de anima comment. 5. vocat phantasma corporeum speciei intelligibilis subiectum, eò quod eius obiectum illud putet esse, vt rectè annotat Caietanus 1. p. q. 76. art. 1. Neque alium explicatum eò loci suscipit commentator; qui nimirum in eo errore fuit vt animam rationalem, vllamve formam spiritalem in subiecto corporeo physicè recipi posse inficiaretur, at species intelligibilis, merito cuius anima nostra intelligit

spiritualis est, vt constat: vbi igitur in phantasmate corporeo eam suscipi adasserit, non de subiecto physico, sed de subiecto intentionalis, siue de obiecto exponendus est. Enimvero hæc vsurpatio subiecti pro obiecto non solum æquiuoca est vt Caiet. vbi supra aduertit, sed etiam minus propriè, nedicam omnino aliena. Tum quia inter obiecta attributa scientiæ illud magis propriè subiectum dici amat, de quo aliquid cognoscitur, aut enunciat, quod autem cognoscitur, affirmaturve de alio non subiectum, sed prædicatum propositionis, vt plurimum dici consuevit, vt cernere est in hac propositione *homo est animal*, cuius prior terminus subiectum, & posterior prædicatum. Tum etiam, quia subiectum strictissime sumptum non pro vllò attributo, sed pro solo attributionis obiecto vsurpatur, vt infra lib. 8. tract. 5. videbimus. Tum denique quia obiectum rigorosè sumptum intellectui cum quauis aliâ facultate vitali, nimirum voluntate, sensu interno, & externo commune est: At subiectum propriissime sumptum solius scientiæ ad intellectum attinentis est: significatio igitur obiecti à subiecti significatione diuersa, sicut omne obiectum summa cum proprietate subiectum dici minime sustineat. Quod autem subiectum nisi solius scientiæ non sit, satis compertum, exploratumque: quis enim bonum, in quod afficitur voluntas, amoris subiectum, aut amorem, odorem, aliamve id genus sensibilem qualitatem sensationis subiectum esse censet, tanta quidem proprietate, quanta voluntas ipsa, & sensus eiuscemodi actus suscipiunt?

Opera pretium erit, & ad notitiam exactam obiecti vt sic conueniens explicare, an si quando idem seipsum intentionaliter attingit cognoscere, aut amat, hoc ipso fuisset obiectum propriè dici debeat. P. Herize 1. p. disp. 4. cap. 1. n. 5. & 6. nihil sui ipsius obiectum strictè esse, aut posse negat: cuius sententiæ, aut potius loquendi modus hisce probamentis suadet. Obiici est referri: nihil autem propriè ad se refertur, quin omnis relatio vera est ad aliud: nihil igitur sibi ipse obicitur: item obiici est vnum poni contra aliud, siue quasi è regione alterius: at nihil contrâ se ponitur. Rursus Aristoteles lib. 5. Metaph. cap. 15. hæc habet *mensurabile, scibile, & intelligibile eo quod aliud ad illud dicitur*; vbi mensurabile cum obiecto scibili, & intelligibili componit, atque vtrumque ex æquo à termino suo distingui significat, vt voculam, aliud, expendent liquebit: sapissime etiam alibi ea nullo facto discrimine relationem prædicamentalem tertij generis ad terminos suos habere tradit: cum ergo mensurabile propriè acceptum mensuram à se realiter distinctam suo sibi iure vendicat, ac iuxta omnes nihil sui mensura rigide esse possit, profecto similiter obiectum scibile, seu intelligibile, si propriè obiectum sit actum à se realiter distinctum exposcet: sicubi igitur actus in se reflectit sui propterea obiectum strictè dici haud merebitur.

Hæc, etsi verisimilia sint, verior tamen, & communior est eorum opinio, qui aliquid fuisset obiectum verum, propriumque agnoscunt: quos inter P. Montoya disp. 5. de scientia Dei cap. 2. multis id, ac luculentis testimoniis comprobatur: ego in primis sic argumentor: aliquid esse cognitum, aut amatum propriè est illud quoque propriè obiectum esse pro eo, ac omnes communiter sentiunt, & loquuntur: proinde si aliquid à se propriè amatum, aut cognitum sit, quidni etiam fuisset obiectum eadem proprietate dici possit, ac debeat; præsens quidem controuersia de vocabulo fermè tota est, vocum autem

vsus